47 F. 15 65

IOANNIS TOMBES

BEVDLEIENSIS Angli.

Animadversiones in librum

GEORGII BVLLI

Cui titulum fecit Harmonia Apostolica.

SEU

Binæ dissertationes, Quarum in priore Doctrina *D. Jacobi* de Justificatione ex operibus explanatur ac defenditur

In Posteriore

Consensus *D. Pauli* cum *Jacobo* liquidò demonstratur

Esaiæ 5°. *Com*: 23°

Væ justitiam iustorum auferentibus ab unoquoque eorum

BIBL. CANT. ACAD.

OXONIÆ,

Excudebat *H. Hall.* Academiæ Typographus Impensis *THO: BOWMAN.*

An. D. M. DC. LXXVI.

CAMBRIDGE UNIVERSITY LIBRARY

Imprimatur.

24 *May* 1673.

Ormond Can: Universitatis *Oxon:*

799.03

Reverendo in Christo Patri, mihique plurimis nominibus observando Georgio Episcopo Wintonienſi ſalutem

Honoratiſſime Præſul

ELAPSI ſunt annī ſupra quadraginta, ex quo ſucceſſor Gulielmo Pembelo τῷ μακαρίτῃ in munere alumnos Aulæ magdalenenſis apud *Oxonienſes* docendi in principiis Chriſtianæ Religionis deſignatus ſupplere inſtituebam ea, quæ in argumento de juſtificatione ab ipſo inchoato deſiderabantur, eaque paucis prælectionibus abſoluta prælo deſtinâſſem, niſi quod Ri-

chardum Capellum assumentum libro Pembeliano recusâsse comperisem. Quod mihi gratum erat: quippe re meliùs pensitatâ à Pembelo in nonnullis dissentire necesse habui, sicut & Georgius Dounamus Episcopus Derensis suum discensum ostendit. *Oxonienſi* verò Academiâ Anno 1630 à me relictâ cum in civitate Vigorniæ concionabar, tum Lemonasterii in agro Herefordiensi argumentum justificationis gratuitæ apud Deum per fidem inculcabam; quumque variis procellis jactatus *Londini* Annis 1644 & 1645 concionabar, ut erroribus Antinomorum ex malè intellectâ doctrinâ de justificatione peccatoris apud Deum obviarem, animum isti argumento illustrando appellebam, & Anno 1651 animadversiones quasdam in Aphorismos *Richardi Baxteri* de justifica-

justificatione ad ipsum misi, quas ipse me inconsulto edidit unà cum responso suo Anno 1658. Inter alia animi mei proposita articulum istum de justificatione elucidare me instituisse tibi indicabam, statimque *Thomæ Gatakeri* τοῦ μακαρίτου libro, cui titulus, [Antidotus adversùs errores de justificatione] à Carolo filio edito, à te donatus sum, annoque sequenti mentionem faciens viginti concionum Templi apud *Londinates* supra 2. *Cor:* 5. 18, 19, 20, 21. Anno 1645 à me habitarum à te primùm monitus *Bullum* quendam tractatum edidisse, qui à receptâ doctrinâ deviabat, codicem istum comparabam, hasque jam qualescunque Animadversiones à me Compositas, prout visum tibi erit disponendas ad te mitto, zelo Dei, uti censeo, accensus, an verò

rò ſecundùm ſcientiam aliis judi-
candum permitto, tibi imprimis,
cujus amplitudini, prout fas e-
rit, me

Addictiſſimum profiteor Servulum

Joannem Tombes

Præter plurima alia Errata in literis & paucis sic emendata nonnulla.

PAg. 4. *l.* 13. *Rom.* 3. *p.* 5 *l.* 25. Christi Satana *l.* 27. gaudentes. *p.* 7. *l.* 22. fidenter. *p.* 9. *l.* 3 innuitur *l.* 14. stum *l.* 17. anxi *l.* 19. fateor *p.* 12. *l.* 6. lantes *l.* 23. prium *p.* 15. *l.* 9. Animadversionibus. *l.* 24. errorem *l.* 25. locos *l.* 26. 38. *l.* 27. prære. *p.* 16. *l.* 6. pisc. *l.* 26. dam. *p.* 17. *l.* 27. amus. *p.* 19. *l.* 21. dimittitur *p.* 21. *l.* 6. reddidit. *l.* 25. vides. *p.* 23. *l.* 15. hominum *p.* 26. *l.* 12. Instituto. *l.* 16. quum *p* 27. *l.* 1. percepit. *p.* 28. *l.* 20. Recte *p.* 33. *l.* 19. insitum. *p.* 35. *l.* 13. vi. *l.* 23. foventia. *l.* 24. Familistarum *p.* 45. *l.* 4. Corroboratus *l.* 5. fiducia. *p.* 65. *l.* 1. justificatus. *p.* 66. *l.* 21. operibus. *p.* 69. *l.* 13. ex fide *p.* 70. *l.* 4. procreans. *p.* 72. *l.* 14. vitiosissima. *p.* 76. *l.* 3. justâ de *l.* 18. ista. *l.* 25. 26. sed hominis *p.* 79. *l.* 11. & *p.* 82. *l.* 14. sumendam *p.* 87. *l.* 14. nullum. *p.* 90. *l.* 19. abnuo. *p.* 95 *l.* 6. plenè *p.* 96. *l.* 6. procuderunt. *p.* 102. *l.* 19. accusatus *p.* 103. *l.* 2. omnimodam. *l.* 13. *ἴνα p.* 105. *l.* 26. exigit. *p.* 112. *l.* 21. scoriâ. *p.* 113. *l.* 22. inculpatam *p.* 118. *l.* 1. *Rom.* 4. *p* 121. *l.* 6. occultis *p.* 133. *l* 3. suum *p.* 136. *l.* 8. animi. *p.* 139. *l.* 25. fictio *l.* 27. quidam *p.* 145. *l.* 16. aur. *p.* 150. *l.* 11. desperatum. *l.* 25. eundem. *p.* 162. *l.* 18. inobedientibus. *p.* 164. *l.* 19. quia *p.* 165. *l.* 20. pertinet. *p.* 176. *l.* 24. supra. *p.* 191. *l* 27. incogitantiam *p.* 206. *l.* 23. qui *p.* 225. *l.* 5. irresistibi em. *p.* 226. *l.* 1. Sarisburiensis.

ANIMADVERSIONES
in Librum GEORGII BULLI
cui titulum fecit Harmonia Apostolica.

PROOEMIUM.

SCopus libri istius cum ex præfatione ad Lectorem, tum ex aliis in libro isto dictis fuisse apparet [*ut occurratur non solum Pontificiorum strophis, sed etiam ad refellendos Antinomos & solifidianos, quos ipse in hac quæstione ex alterâ parte non minùs periculosè errare semper arbitratus sit solifidianorum errorem vult justificationem non esse ex operibus, sed ex fide tantùm*] Atqui in artic. 11 in Synodo Londinensi anno 1562 sic statuitur, *Tantum propter meritum Domini ac servatoris nostri Jesu Christi, per fidem, non propter opera, & merita nostra, justi coram Deo reputamur. Quare sola fide nos justifi-*

cari

cari doctrina est salubberrima, ac consolationis plenissima, ut in homiliâ de justificatione hominis fusius explicatur. Et in homiliæ de salute parte primâ sic asseritur. *Fides non excludit pœnitentiæ, spei, amoris, metus & timoris Dei coexistentiam cum fide in unoquoque homine qui justificatur: sed excludit ab officio justificandi*, quæ male omittit recitare hic Author *p.* 346. (Quòd si scriptor iste articulo isti subscripserit, aut solifidianismum, quem opponit, ipse tenuit. aut assensum ilti articulo contrà mentem suam simulavit. Verum omissâ inquisitione in ea, quæ Domini judicio relinquenda, examinabo quæ dictat in dissertationibus præ dictis.

Animadversiones in Caput primum dissertationis prioris.

Cap. 1° [*vocem δικαιῶν a Jacobo in usitatiori suo significatu usurpari, h. e. sensu forensi, pro justum censere sive pronuntiare, à Paulo Rom.* 8. 33 *pro aliquem accusatum absolvere, atque ab accusatione liberum pronunciare ac decernere*] rectè dici existimo. Quod verò addit [*justificatio denique significat*

ficat amorem illum Dei quo jam sanctam vitam degentes Complectitur, eosque in Christo vitæ æternæ præmio dignos censet] gratis dicitur, nec verum puto, si de notione peculiari [*justificationis*] loquatur: Quæ licet concomitantem habet istum amorem, tamen strictè loquendo non isto vocabulo a *Paulo* significatur iste amor, nec absolutio, & liberatio a pœnâ, sed absolutio in judicio, sive expiando prout sacerdos *Rom.* 5, 9 *Gal.* 2. 17 *Rom* 3. 24. sive arguendo prout advocatus, quod Christo tribuitur. *Jo* 2 1, 2. *Heb.* 9. 24. sive sententiam ferendo de crimine, quod cuivis impingitur, prout Judex solet. quod de Deo dicitur ut à Christo distincto *Rom* 8 33. 34 *Rom* 3. 30. nec puto [μισθὸν λογίζεσθαι, δικαιοσύνην λογίζεσθαι, εἰς δικαιοσύνην λογίζεσθαι *idem planè valere, aut vocem* δικαιοῦν *tam apud Paulum quàm apud Jacobum idem planè valere quod* μισθὸν λογίζεσθαι, *nec in Jacobi loco c* 2. *v.* 21. *collato cum v.* 23 *justificari &* εἷλον θεοῦ κληθῆναι *pro eodem poni, aut Rom.* 5. 1. δικαιωθῆναι *per* εἰρήνην ἔχειν πρὸς θεὸν *exponi*] ut Author iste post *Grotium* loquitur.

Quod verò è *Rom.* 3. 20 infert *ex verbis* ἐνώπιον θεοῦ δικαιοῦσθαι *sensu forensi, sive*

 judiciario

judiciario ſumi, & in conſpectu, judicio, æſtimatione Dei ſignificare] rectum eſt. Sed & addi debuit notare præſentiam Dei, locum & conventum ad judicium exercendum: quod in Cœlo peragi coram angelis elicitur ex iſtis locis *Matt.* 18 19. *Luc.* 1. 19 *Luc.* 12. 8 9. *Luc.* 15. 7. 10. *Act.* 10 4. *Apoc.* 14. *Apoc.* 4. 10. & 7. 15. & 8 2, 3, 4 & 9. 13 & 11. 6 & 14. 5 & 20. 12. Quanquam enim ἐνώπιον θεοῦ non ſemper præſentiam Dei in cœlis coram Angelis denotare exiſtimem: tamen cum in hoc negotio idem videtur ſignificare ἐνώπιον θεοῦ *Rom.* 13. 20. quod πρὸ προσώπου θεοῦ idque cœlum notat *Heb.* 9 24. & πρὸς τὸν πατέρα 1. *Joh.* 2. *collatum cum Joh.* 16. 10. 28. cœlum denotat, ubi advocati & ſacerdotis munus pro nobis obit Chriſtus, quæ ad juſtificationem noſtram pertinent, & confeſſio nominis alicujus à Chriſto, quæ *ſit coram Patre ejus, ſit etiam coram angelis* Dei *Apoc.* 3. 5 *& gaudium eſt in cœlis coram Angelis Dei ſuper peccatore reſipiſcente Luc.* 15. 7. 10. *iique puſillorum ſint angeli intuentes faciem patris Chriſti, qui eſt in cœlis, parati ad injurias ipſorum vindicandas Matth.* 18. 10. *& omnes ſint miniſterii munere fungentes, qui miniſterii cauſâ e-*

mittuntur

mittuntur propter hæredes ſalutis futuros Heb. 1. 14. & cum *Jobum* accuſaret Satanas in conventu filiorum Dei predicâſſe Dominum ejus integritatem & vindicaſſe dicitur *Job.* 1. 6. &c, Aliaque dicuntur de ſatanæ accuſatione *Apoc.* 12. 10. *Zach.* 3. 1. *Judæ.* 9. (unde ὁ ἀντίδικος 1. *Pet.* 5. 8. ὁ κατήγορος *Apoc.* 12. 10. dicitur) & Angelorum actionibus pro juſtificatis, & Petro Chriſtus ait *Matth.* 16. 19 *& tibi dabo claves regni cælorum: quicquid ligaveris in terrâ ligatum erit in cœlis: & quicquid ſolveris in terrâ ſolutum erit in cœlis Matth.* 18. 18. *Amen dico vobis, Quæcunque ligaveritis in terrâ erunt ligata in cœlo; & quæcunque ſolveritis in terrâ, erunt ſoluta in cœlo. Rurſum dico vobis, ſi duo ex vobis conſenſerint in terrâ de omni re quam petierint fiet eis à Patre meo qui eſt in cœlis. Joan.* 20. 23. *ſi quorum remiſeritis peccata, remittentur eis. ſi quorum retinueritis retenta ſunt, nullus dubito* conventus juridicos alicubi in cœlis haberi, in quibus proceſſus judicialis a Deo habetur, Deumque fideles ex interceſſione Chriſti ab accuſationibus a ~~ſanata~~ ſatanæ in ipſos inteutatis ſolemniter coram angelis abſolvere, quo gautentes alacriter ipſis miniſtrant

ſtrant, & hoc velle Apoſtolum *Paulum* per juſtificationem ἐναντίον Θεοῦ. Nullibi verò, quod novi actionem Dei deſignat ad præmium juſtitiæ h. e. vitam æternam acceptantis, quæ non fit more judicis, ſed munifici Principis, aut rectoris, nec in juſtificationis notione includitur, aut ex vi vocis tanquam connexa infertur.

Quod verò in concluſione iſtius capitis dicitur [*juſtificationis noſtræ cauſam principalem manet meritoriam in Chriſti ſolius morte ac meritis unicè ſtatuendam, & phraſim ἐξ ἔργων οὐ πίστεως δικαιοῦσθαι medium rei obtinendæ, ſive conditionem præcedaneam quæ vulgò ſine quâ non dicitur, notare*] haud improbo: penitùs verò rejicio theſin iſtam [*dicitur igitur homo ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι (Jac. 2. 21 24 25.) quia bona opera conditio ſunt juxta ordinationem Divinam in Evangelico fœdere ſtabiliram neceſſario in hoc requiſita, ut quis juſtificetur, h. e. remiſſionem peccatorum per Chriſtum partam obtineat, Deoque ad ſalutem gratus & acceptus fiat.*] nam negry quidem apud *Jacobum c. 2 v. 21. 24 25.* de conditione juxta ordinationem Divinam in Evangelico fœdere ſtabiliram neceſſario in hoc requiſita ut quis juſtificetur

tur h. e remissionem peccatorum per Christum partam obtineat; nec genuina notio justificationis remissionem peccatorum implicat, aut Deo ad salutem gratus & acceptus sit peccator præcisè ex justificatione, etsi concomitentur aut consequantur vi ordinationis Divinæ ex reconcilatione & adoptione Divinâ justificationem cum remissio peccatorum, tum gratuita acceptatio ad salutem. Et quanquam non negem salutem aliquando justificationem apud Deum & remissionem peccatorum comprehendere: aliquando tamen distingui patet Rom. 5. 9. 10. Tit. 3. 5, 6, 7. & sepius conversionem, vocationem, resurectionem ad vitam alia que Divina beneficia innuere quàm justificationem, sive remissionem peccatorum sed missis istis videamus quo modo thesin suam probat iste Author.

Animadversiones in Caput secundum.

C. 2. fidentur ait [*aliam ullam doctrinam vix dari posse, quæ in sacris libris tam clarè asseritur aut toties inculcatur, urget Isai. 1. Com. 16, 16, 18. Ezech. 33. 14,*

15. 16] sed ne verbum quidem in istis versibus de justificatione, hoc est remissione peccatorum per Christum partâ obtinendâ, & acceptatione a Deo ad salutem æternam nec enim fides in Christum, aut opera Evangelica fide enata conditio veniæ aut vitæ mihi ponuntur, sed juris civilis erga subditos, aut concives executio, nec verbum de fiduciâ in Divinâ misericordiâ per Christum ejusque sanguinem, aut conversione cordis aut fructibus spiritus ex insitione in Christum ut vitem veram proeuntibus; Ideoque si ista ipsissima sit Evangelii vox, justificatio astruetur absque fide in Christum, & operibus Evangelicis; imò ex operibus quæ sine gratiâ Christi liberi arbitrii viribus præstari possunt, quod Pharisaismum & Pelagianismum oleret. Sensus verò ex utriusque loci scopo, & serie verborum hic est si jus erga vos invicem exerceatis nec ab Assyriis aut chaldæis occidemini, aut in captivitatem ducemini, sed vivetis in terrâ prout pollicitus sum *Levit.* 18 5 nihil hîc de justificatione h. e. remissione peccatorum per Christum partâ obtinendâ, aut vitâ quâ justus vivit juxta Evangelium *Rom.* 1. 16. 17. *Gal.* 3. 11. 12.

Nec

Nec *Joh.* 14 21. 23. aut *Joh.* 15. 14. *per dilectionem patris dilectionem aut amicitiam Christi* justificatio istiusmodi inuitur: sed alia benevolentiæ signa, quale est illud de quo Apostolus 1. *Cor.* 2. 9, 10, 11, 12. retectio eorum quæ mundus non percipit, ne principes hujus seculi, & habitatio apud eos per spiritum *Ephes.* 2. 22. & 3. 16, 17, 18, 19.

Nec verè dicitur [*Matth.* 11. 28. 29. *solennem fœderis Evangelici promulgationem apertè contineri hoc est condicionem justificationis h. e. remissionis peccatorum per Christus partæ obtinendæ*] Requies enim animæ non est a peccatis liberatio, sive non imputatio peccatorum: sed quies animæ, hoc est vacuitas anexietatis & sollicitudinis ex oneribus, quibus fatigati & onerati erant. Quæ onera fateor solent dici à concionatoribus & expositoribus peccata ipsorum esse: sed non sic dicit texus, mihique tum verba præcedentia *v* 25, 26, 27. tum sequentia *v.* 29. 30. hunc sensum innuere videntur. Quoniam Patri placuit occultare mysteria regni cælorū à sapientibus quales sint scribæ & Pharisæi & ea retegere infantibus, hoc est discipulis è vulgo, *omnia verò mihi tradita*

dita ſunt à Patre, & nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quiſquam novit niſi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere, venite ad me tanquam magiſtrum aut Doctorem veſtrum *Matth.* 23. 8. 10. *qui fatigati eſtis* & onerati eſtis oneribus Scribarum & Phariſæorum, *qui ligant onera gravia difficiliaque portatu, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere Matth.* 23. 4. *& ego faciam ut requieſcatis* ab iſtis oneribus mitiorem doctrinam, & leviora præcepta vobis imponendo. *Attollite* ergo *jugum meum in vos,* hoc eſt præceptis meis vos addicite, ſequimini me ut præceptorem veſtrum, confitemini me tanquam a Deo miſſum prophetam, & diſcite a me doctrinam quam doceo, quia (ſic enim uti vulg: legendum) *mitis ſum,* nec litigans, nec clamitans, uti dicitur *Matth.* 12. 18. 20. *& humilis corde,* non ſuperbus, ſuperciliosus, imperioſus contemptor vulgi ut Phariſæi *Joan.* 7. 47, 48, 49. *& invenietis requiem animabus veſtris,* hoc eſt, meam doctrinam amplectentium animi non fluctuabunt ut ancipites, utrùm quæ doceo ſint a Deo, aut quæ præcipio in veſtram rem ſint; *Jugum enim meum,* hoc eſt doctrina

mea

mea cum promissiones tum mandata complectens χρηστὸς *bonum*, suave, facile in commodum vestrum sive credatis sive faciatis absque exulceratione animi, angore & vexatione cedet, *& onus meum leve est*, quod vobis impono tolerari & præstari potest absque gravamine & depressione: non sic onus traditionum a Pharisæis impositum *Marci.* 7. 3. 4. & *Matth.* 23 4. aut jugum legis *Act.* 15 10. *Gal.* 5. 1. Quibus positis manifestum est non bonis operibus promitti hîc justificationem a Deo ab accusatione & condemnatione propter peccata commissa, sed refocillationem mentis ab iis dubiis & vexationibus, quibus Pharisaicis Rabbinis adhærentes agitati & gravati sunt.

Pergit Author adjicere ἀπροσδιόνυσα ab Apostolis effata. Concedo *Act.* 10. 34. 35. operantem justitiam acceptum esse ad salutem, sed gratis dicitur [*eidem formaliter esse justificari a Deo h. e. remissionem peccatorum per Christum partam obtinere & acceptum ei esse*] Hoc enim aliud est à justificatione, & tribuitur operanti justitiam, sicut *Cornelio* quamvis Ethnico incircumciso, tanquam consequens justificationem. *Ejus preces exaudita & Eleemosynæ in memoriam venerunt in*

in conspectu Dei, non ut condicio justificationis a peccatis obtinendæ, sed ad clariorem Evangelii cognitionem ei impertiendam.

Quod verò 1. *Joan.* 1. 7. dicitur probat solos in luce ambulentes justificatos, sed non propter sanctitatis opera ut medium justificationis obtinendæ (hoc enim solummodò tribuitur sanguini Christi) sed ut consequens τεκμήριον, unde justificatio innotescit.

Hallucinatur verò egregiè Author citando *Heb.* 10. 14. & 1. *Pet.* 1. 2. in suam sententiam. Concesso enim [*vocem* τελεῖν *expiare significare, morte Christi à peccatis liberationem factam. Christi merito justificari non nisi sanctificatos*] non tamen ibi dicitur spiritu sanctificari, imo ejusdem capitis *v.* 10 dicitur *voluntate Dei sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam*, & *Com.* 29. *per sanguinem fœderis*, &c. 13. *v* 12. *Jesu ut sanctificaret populum per propium sanguinem passus est extrà portam*; ideoque sanctificatio in istis locis potiùs est dicenda ipsa justificatio, seu non imputatio peccatorum, sicut qui sanguine sacrificii expiationem obtinebant immunditiæ

immunditiæ imputatione eximebantur. Sed posito, *quòd merito Christi justificentur nonnisi, qui spiritu Christi priùs sancti redduntur*, hoc tamen non probat opere sanctos esse antequam justificentur. semine enim Dei regenerari possunt, & verbo Evangelii, atque ita habitualiter sanctificati sunt, qui nondum opera charitatis, elemosynas, aliaque bona opera protulerunt quæ *Abrahamus* & *Rahab* fecisse dicuntur, & a *Jacobo c.* 2. ad justificationem requiruntur. Quòd si rectè exponat *Jacobi* sententiam Author iste, non solùm statuit *sanctificationem primam & imperfectiorem, ut justificationis Condicionem præcedaneam, sed etiam totius legis observationem, & opera ex quibus fides ostendi potest, & τελειοῦται Jac.* 2. 10. 14. 18. 22. *ad justificationem a peccatis præ requiri.* Quod sanè (quicquid hic Author nugatur) justificationi h. e. remissioni peccatorum per Christum partæ γυμνῆκιαλῆ adversatur, *si Paulo fides Rom.* 11 6. *Fateor nonnisi sanctificatos spiritu justificari, hoc est, quorum corda fide purificantur, uti Petrus loquitur Act.* 15. 9. Concedo ῥαντιμὸν αἵματος χριστοῦ ἰησοῦ esse ad justficationem, ἁγιασμὸν πνεύματος præcedere obedientiam & aspersionem

aſperſionem 1. *Pet.* 1. 2. Sed obedientiam veritatis eſſe per fidem ſatis expreſſè dicitur *v.* 21. 22. quæ obedientia fidei Rom. 1. 5 non eſt obedientia toti legi adhibita bona opera omnis generis proferendo. *Et aſperſio ſanguinis Chriſti dicitur in Corda à conſcientia malâ, idque ex plerophoriâ fidei Heb.* 10. 22. *quo emundatur Conſcientia a mortuis operibus ad colendum Deum vivum Heb.* 9. 14. nullibi emundatio, aut ſanctificatio ad juſtificationem tribuitur bonis ejuſmodi operibus, quorum mentio habetur apud Jacobum ut ad juſtificationem requiſitorum.

§. 6. Progreditur ad teſtimonia [*in quibus opera*, inquit, *quædam ſpecialia tanquam ad juſtificationem omnino neceſſaria præſcribuntur, & citat Act.* 2. 38. & *Act.* 3. 19] ſed his citandis extra oleas vagatur. 1o quia ſupponit juſtificationem idem prorſùs eſſe cum remiſſione peccatorum, & pœnitentiam eſſe medium ſeu condicionem juſtificationis, quia remiſſionis. Sed meminiſſe oportuit, quamvis in juſtificatione peccatoris coram Deo remiſſio peccatorum, & juſtificatio concurrant, nec juſtificatur niſi qui reſipiſcit, ideoq; hæc teſtimonia propiùs ad rem accedunt;

accedunt; aliam tamen esse notionem justi-
ficationis a remissione peccati. Quippe justi-
ficari potest innocens, uti de Christo dicitur
Isai. 50.8. 1. *Tim* 3.16. cui peccatum non est
remissum, & remitti potest peccatum qua
dantenùs, ei qui non justificatur: remissio
pœnam tollit, justificatio à culpâ absolvit,
aliæque sint inter istas differentiæ, uti vide-
re est in *Adversationibus Thomæ Gatakeri in*
Scripta adversaria Ludovici Lucii & Joannis
Piscatoris parte 1a Sect. 3a &c. Et, quantum
memini, nullibi justificatio pœnitentiæ tan-
quam conditioni aut medio tribuitur, nun-
quam dicitur ἐκ μετανοίας justificari sicut ex
πίστεως, & proinde tutius existimo formulis
loquendi in Sacrâ Scripturâ adhærere, quam
ab iis deviare. 2. resipiscentiam, baptismum.
conversionem in istis locis non esse ea bona
opera, quæ ex *Jacobo*, *Esaia Ezechiele* ali-
isque justificationis necessariam condicio-
nem præcedaneam sæpiùs vult Author iste:
quæque urgendo utpote ad justificationem
necessaria, imprudens forsan, necesse est tà-
men in errore Pharisæorum, Pelagianorum,
Papistarum incidat: 3ò Quod ad locus ab
ipso allegatos attinet *Act.* 2. 23. *baptismum*
fatetur in nomen Jesu Christi prærequiri ad
remissionem

remissionem peccatorum: *Baptismum* verò *in nomen Jesu Christi* significat baptizatum confiteri Jesum esse Christum, quod fidem in Christum præsupponit, sicut è verbis Christi *Marci.* 16. 16. *Philippi Actor* 8. 16. 37 &c. patet: Et in utroque loco resipientiam & conversionem esse à peccato in Christum, quem crucifixissent commisso ad fidem in Christum, adeòque non pœnitentiæ per se remissionem peccatorum tribui, sed cum, & per fidem in Christum quæ requiritur ad remissionem peccatorum, ut & ad justificationem *Actor.* 13. 38. 39. *Actor.* 26. 18 quæ per Christum obtinentur ideòque solummodò per fidem in illum, etsi non sine recipiscentiâ, sine quâ non est fides in Christum ut servatorem populi ejus à peccatis 40 *Deletio peccatorum Actor.* 3. 19. *erit postquam venerint tempora refrigerationis à Conspectu Domini*, ideòque de futurâ remissione aut justificatione in extremo judicio intelligitur. Justificatio verò *Paulina* de cujus condicione agitur, est ἐν τῷ νῦν καιρῷ Rom. 5. 9 δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ Rom 5. 9. ad quam obtinendo bona opera non requiruntur, sicut ad futuram justificationem in judicio ultimo.

§. 7

§. 7. *notandum eſt*, inquit, *reſipiſcentiam non eſſe opus unicum aut ſimplex, ſed multorum aliorum operum quaſi complexionem : ſuo enim ambitu comprehendit ſequentia opera nec pauca neque ignobilia, & undecim enumerat*] ſed non advertit diſtinguendum eſſe inter *reſipiſcentiam*, & *fructus dignos reſipiſcentiâ Matth.* 3. 8. *Luc.* 3. 8. Reſipiſcentia eſt opus, aut potiùs actus internus & ſimplex : plurima ex iis, quæ ſuo ambitu ait reſipiſcentiam comprehendere, ſunt fructus pœnitentiæ. Qui ſi præeant remiſſioni peccatorum (quæ non remittuntur antequam commiſſa ſunt) ea ſolummodo impunitatem notat, non abſolutionem a culpâ, & iterari quotidiè dicitur per renovatam ſupplicationem, & obtineri ex parte, & ſolùm aliquando diminutionem, aut dilationem puuitionis notat : ad juſtificationem tamen ſolennem, de quâ in Epiſtolis ad *Romanos* & *Galatas Paulus* diſſerit, ad receptionem Evangelii vel vocationem, uti *Rom.* 8. 30. diſtinguuntur, non requiruntur ut condicio præcedanea, cui tribuenda ſit; excutianus verò quæ affert.

[*Primum opus, quod ſno ambitu comprehendere ait recipiſcentiam eſt de peccatis triſtitia 2 Cor. 7. 10.*] ſed non dicit Apoſtolus reſipiſcentiam comprehendere de peccatis triſtitiam, *ſed triſtitiam vel dolorem ſecundùm Deum operari reſipiſcentiam ad ſalutem. Humilationem coram Deo* Jac. 4. 10. fateor fructum eſſe pœnitentiæ, *ſuique deteſtationem aut diſplicentiam propter peccata Exech.* 6. 9. & 20. 43. & 36. 31. *Peccatorum confeſſionem* 1 Joh. 1. 9. *a peccato ceſſationem Pror.* 28. 13. *Iſai:* 1. 16. cum reſipiſcentiâ connecti, & ad remiſſionem peccati prærequiri, ſicut & *ſupplicem Divinæ miſericordiæ implorationem Act.* 8. 22. quanquam ea ſit fidei potiùs opus quàm reſipiſcentiæ. Nec *Exod.* 20. 6. *amor Dei, cui obſervatio mandatorum Dei adjungitur*, dicitur reſipiſcentiæ opus, aut ejus ambitu comprehendi, aut condicio remiſſionis peccatorum eſſe, ſed potiùs ad legalem juſtitiam pertinet.

Acto: 11. 23. mentio non eſt *firmi novæ obedientiæ propoſiti, nec reſipiſcentiæ operis, aut firmi novæ obedientiæ propoſiti reſipiſcentiæ*

reſipiſcentiæ ambitu comprehenſi, aut ad remiſſionem peccatorum & juſtificationem conditionis præcedaneæ neceſſariæ; ſed gratiæ Dei erga eos, qui fide habitâ ſermoni Dei ab Evangelizantibus prædicato è Gentibus ideoque juſtificatis fide abſque operibus præcedaneis, converſi ſunt ad Dominum, quos hortatus eſt *Barnabas, ut propoſito Cordis per manerent in, aut cum* Domino, quod opus fidei in Chriſtum proculdubiò eſt, & non reſipiſcentiæ a peccatis.

[*Adiungit malè partorum reſtitutionem Exech.* 33. 14. 15. *Levit.* 6. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. *Luc.* 19. 8. 9. *Quod quidem panitentiæ opus ad remiſſionem peccatorum abſolutè neceſſarium eſſe ait in eo, cui reſtituendi facultas ſuppetit, adeò apud omnes in confeſſo eſt, ut inde ortum ſit tritum axioma Theologorum omnium calculo comprobatum: non ai mittitur commiſſum niſi reſtituatur ablatum.*

Cui reſpondeo, *Ezech.* 33. 14. 15. *exercitium judicii & juſtitiæ, pignoris reſtitutio, in ſtatutis vitæ ambulatio non faciendo iniquitatem* æq; ac *rapinæ redditio* dicuntur opera reſipiſcentiæ ejus ambitu

 comprehenſa

comprehensa, & pariter ad justificationem h. e. remissionem peccatorum per Christum partam obtinendam necessariæ præcedaneæ condiciones. Quod si absurdum, uti videbitur omnibus, qui justificationem legalem non astruunt, dictata istius Authoris absurda videbuntur *Levit.* 6. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. non videbitur [*restitutionem male partorum pœnitentiæ opus ad remissionem peccatorum absolutè necessariam esse in eo cui restituendi facultas suppetit*] sed iniungitur restitutio cum additione quintæ insuper partis, & oblatione arietis dati sacerdoti, quo rogante pro eo, qui fraudem fecerat, coram Domino dimittitur illi fraus. Sed hæc etsi quodammodo pœnitentiæ opera ad legalem justificationem aut remissionem, non ad Evangelicam pertinent. *Luc.* 19 8. 9. *Zacchæus dixit, si quid per calumniam eripui cuipiam reddo quadruplum, & dixit ei Jesus, Hodie salus huic domui contigit, eo quod ipse quoque est filius Abrahami*: nec inficias eo redditionem istam opus pœnitentiæ: sed necessariam esse præcedaneam condiconem remissionis peccatorum per Christum

Christum partæ non evincitur magis quàm pariter esse condicionem, *dimidium bonorum dare pauperibus*, quod priori loco de seipso dixit *Zacchæus*. Justificatus est quidem, aut salus ei contigit: sed non dicitur, quia dedit aut reddit bona, sed quia filius *Abrahæ*, hoc est fidelis, uti exponit filiationem Apostolus *Rom.* 4. 11. 21. *Gal.* 3. 7.

Axioma Theologorum debitis limitationibus restrictum probo: sed condicio inde elicienda non est necessaria & præcedanea justificationis communis fidelium, sive remissinis peccatorum per Christum partæ obtinendæ, nec ratio justificandi ei tribuenda, sed fidei in Christum: Quod similiter dicendum de remissione nostrâ peccatorum, quæ in nos proximi peccârunt, de quâ Servator *Matth.* 6. 14 15.

[*Denique allegat Dan.* 4. 27. *Jac.* 2. *v.* 13. 15. 16. *Luc.* 11. 41. *Esai*: 1.17. *Luc.* 16. 9. 1 *Tim.* 6. 17 1 *Pet.* 4. 8. *Heb.* 13. 16. *dictum Chrysostomi, morem in veteri Ecclesiâ, & concludit, vies quàm latè se diffundant panitentiæ opera, vides ea omnia ad veniam peccatorum consequen-*

dam a ſpiritu ſancto omnino neceſſaria ſtatui.]

Quibus reſpondeo : *Dani* : 4. 27. *Luc.* 11. 41. *a Bellermino tom.* 3. *Contr. l.* 4: *de pœnitentie c.* 8. & aliis è Pontificiis allegari, nt probent per elemoſynas ſatisfieri pro peccatis : iſte verò ait [*Quanti valeant opera beneficientiæ ſive Eleemoſynæ ad remiſſionem peccatorum a Deo impetrandum ſatis liquet ex celebri loco Dan.* 4. 27. *Ubi ſanctus propheta regi Nebuchadnezzari adhuc in peccatis hærenti ſalubre hoc conſilium ſuggerit, peccata tua Eleemoſynis redime, & de utroque loco reddendo refert ad* Grotii *annotationes.*] Æquo jure refero auctorem iſtum ad *Chameri panſtract : Cath : tom* : 3. *l.* 23. *c.* 9. ubi utrumque locum a *Bellermini* ſtrophis vindicat, & quod ad *Luc* : 11. 41. *Bullo* oppono *Knatchbullum Animad. Parad. Orthod. in lib* : *novi Teſtamenti* pulchrè hunc locum explicantem, nec non *Hammodum* noſtrum in locum. Neuter certè locus probat eleemoſynas ad veniam peccatorum conſequendam a ſpititu ſancto omnino neceſſarias ſtatui, aut ſatiſfactionem eſſe pro peccatis.

Prior

Prior locus monitum eſt, ut deſiſtat a peccato rex, ut tranquillitati conſulat, non ut juſtificetur coram Deo remiſſionem peccatorum per Chriſtum partam eleemoſynis & miſerecordiâ erga pauperes obtinendo. Alter intelligendus eſt non de purgando a peccatis Phariſæos (ſic enim Eleemoſynæ ſufficerent Phariſæis ad juſtificationem & remiſſionem peccatorum, quod Antievangelicum) ſed de mundo uſu bonorum quæ habuerunt, & ſenſus eſt, quum *Knatchbullus* protulit, *Date pauperibus quæ inſunt, vel intus ſunt* τὰ ἔσωθεν τῆς ποτηρίκ, *quæ intus latent ab oculis hominem in poculo pleno rapinâ & improbitate, quæ immunda ſunt coram* Deo, *& tunc* τὰ ἔξω & τὰ πάντα *i. e. quæ etiam reliqua habetis omnia erunt* καθαρὰ *i. e. munda coram Deo, ut ſi quid ex illis deinceps offeratis gratum ei & acceptum erit.*

Fateor *damnationem abſque miſericordiâ ei futuram, qui non præſtiterit miſericordiam fratri aut ſorori nudis & deſtitutis quotidiano victu*; non tamen ſequitur exinde juſtificationem i. e. remiſſionem pecctorum per Chriſtum

partam hoc opus obtinere.

De *Isai*: 1. 17. dixi supra *Luc.* 16. 9. nihil ad rem, nisi *Facite amicos ex Mammonâ injustâ*, sit, justificate vos i: e: remissionem peccatorum per Christum partam vobis obtinete opibus injustè partis, quod longè a Christi mente aberrat.

Nec 1 *Tim.* 6. 17 &c, sive per [*fundamentum*] sive per [syngraphan] cum *Hammonâ* exponas, *v.* 19. impertiendo opes dicitur justificatio b: e: remissio peccatorum per Christum parta obtineri, quæ jam credenti in Christum tribuitur: sed *thesaurum congerunt sibi εἰς τὸ μέλλον, ut vitam illam æternam apprehendant.*

Quod verò dicitur 1 *Pet.* 4. 8. *charitas operit multitudinem peccatorum*, non vult Apostolus (quod Author iste post *Hammondum*) *propitiabit Deum*, sed quòd *Piscator*, *charitas erga vos invicem operiet*, *hoc est*, *non imputabit multitudinem peccatorum*, *quibus iniuriam vobismetipsis facitis*, *ad rixam*, *quod locus* Prov. 10. 12. unde sumitur, & verba ipsa evincunt Apostoli esse mentem.

Nec

Nec quod ultimo loco ponitur *Heb.* 13. 16. ad rem facit nisi εὐαριστεῖται velit reddi [*propitiatur aut placatur*] sicut vulgata apud Pontificios [*promeretur.*] Placere istiusmodi victimas Deo dicit Author epistolæ, non placare. Atque ita perpensis, quæ Bullus attulit, testimoniis, in quibus *jactat doctrinam de necessitate bonorum operum ad justificationem obtinendam sacrarum literarum utramque paginam ferè complere; ut ausit dicere aliam ullam vix dari posse, quæ in sacris literis tam clarè asseritur aut toties inculcatur*, ego contra assero justificationem, de quâ *Paulus* in epistolis ad *Romanos* & *Galatas* agit, nullibi isti necessitati bonorum operum attribui, sed fidei in sanguine Christi, uti *Rom.* 3. 25. & 5. 9. *Gal* 2. 16, 20. 21. *Quæ addit ex Chrysostomo, & circa morem veteris Ecclesiæ de* ἀγαθωεργίαις non probant, *Eleemosynam pænitentiæ signum obtinere justificationem coram* Deo *i: e: remissionem peccatorum per Christum partam*, hocque ausim negare absque formidine censuræ istius scriptoris, qui sic invehitur in dissentientes (in quorum numero sunt

Protestantes

Proteſtantes ferè omnes, etiam ii qui articulis *Anglicanæ* Eccleſiæ ſubſcribunt) *ac ſi doctrina de juſtificatione per ſolam fidem paradoxum eſſet, & qui tenent in Libertinorum caſtra ſe totos dederint Quod verò* §. 8. λειτολογῶ *de fidei & pœnitentiæ præcedentiâ* ſibi habeat nihil cauſam quam tueor [*ſolennem juſtificationem credentium in Chriſtum ex intuitu ſolius fidei in Chriſtum a Deo in cœlis peragi*] lædit, ſive fides ſeu reſipiſcentia ordine naturæ aut temporis antecedat. Sufficit inſtituto meo, quod ex fidei ſolius intuitu Deus juſtificet *Joh.* 3. 14. 15. 16. 18. & 5. 24. *Rom.* 3. 28. 30. *Gal.* 2. 16. 20. nec alio argumento nitantur fideles, quam petunt juſtificationem a Domino quàm *merito Chriſti*, uti *artic.* 11o Eccleſiæ *Anglicanæ* dicitur, aut Chriſtus aliud urget, quum cauſam noſtram apud Patrem agit, uti advocatus contra accuſationes ſatanæ, aut peccatorum noſtrorum uſque ad cælum clamorem 1. *Joh:* 2. 1 2. quàm ſanguinem ſuum a ſe fuſum eſſe fœderis novi ſacrificium ἱλαστήριον & fide aſperſum in conſcientias ipſorum. Et hoc didicit, qui Apoſtoli mentem

rectè

rectè precepit *Rom.* 8. 33. 34. & in hoc ſenſu, *qui ſolâ fide juſtificari aſſerunt, non excludentes ſpei, reſipiſcentiæ, charitatis, timoris Dei coexiſtentiam ab eo qui credit, ſed ab officio juſtificandi, uti homiliæ de ſalute parte* prima ſuprà citata verba ſe habent, nec objectiones ſolifidianiſmi aut Libertiniſmi opus eſt, ut metuant, quibus ut terriculamentis author iſte utitur, nec quidquam in hanc rem refert ſive fides, ſive reſipiſcentia priùs exiſtat, aut fides ſola inſtrumentum morale, aut, quod potiùs arridet, condicio ex parte noſtra juſtificationis obtinendæ dicatur. Nec movemur argutiolis iſtius Authoris contra inſtumentalitatem fidei, aut de phraſibus amplectendi Chriſtum ſive fide ſive charitate, aut accipiendi Chriſtum aut juſtificationem. Nobis ſatis eſt juſtificari eò quòd in chriſto ſimus idque ſoli fidei tribuitur *Phil.* 3. 8. 9. nec moramur diſſertationem, *utrùm fides an Charitas ſit excellentior.* Hoc ſolummodò noſtro inſervit inſtituto, quod in Chriſtum inſerat fides, eoque juſtificamur.

Falſum verò eſt quod habet ſcriptor iſte

iſte [*Fides illa cui tot & tanta tribuuntur in novo teſtamento pro unicâ ac ſimplici virtute nequaquam ſumenda eſt ſuo enim ambitu omnia Chriſtianæ pietatis opera comprehendit.*] neutrum enim oſtenditur ab ipſo aut oſtendi poreſt, ſed ſatis refutatur ex eo, quòd in negotio juſtificationis objectum habet fides Chriſtum ejus mortem, reſurrectionem, interceſſionem, Deum & ejus promiſſiones; non præcepta, & imperium Divinum pro objecto, unde obedientia & pietatis opera promanant, ideoque non juſtificat ut mater virtutum, ſed quatenùs facit, ut in Chriſto ſimus Atque hæc de Capite ſecundo diſſertationis prioris dicta ſunto.

Animadverſiones in Caput tertium.

Recti ſtatuit Author iſte *legem fidei eſſe quâ juſtificamur* juſtificatione quæ ἐν τῷ νῦν καιρῷ *Rom.* 3. 16. νῦν *Rom.* 5. 9. peragitur, quæ vocationem ſequitur, quâ fit ut *Deus ſit ὑπὲρ ἡμῶν, nemo Contra nos poſſit, nemo* ἐγκαλέσει κατ' ἐκλεκτῶν

τῶν θεῦ, è morte, resurrectione, intercessione Christi in cælis orta, uti Apostolus Rom. 8. 30, 31, 32, 33, 34. & lex, cujus impletione ea peragitur justificatio, expressè negatur esse lex Decalogi Rom. 10. 5. Gal. 3. 10, 11, 12. quod de decalogo dici patet e loco unde desumta est ista sententia Deut. 27 26 & expressè dicitur Rom. 10. 4. Christus finis legis in justitiam omni Credenti Rom. 10. 8, 9, 10. Verbum fidei est quod prædicârunt Apostoli, si professus fueris ore tuo Dominum Jesum Christum, & creddideris in corde tuo quòd Deus eum suscitavit ex mortuis servaberis, nam corde creditur ad justitiam, fit autem ore professio ad salutem. De Evangelio sic ait Rom. 1. 16 17. Evangelium Christi & potentia Dei ad salutum cuivis credenti, Judæo primum, tum etiam Græco. Justitia enim Dei per illud revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est, Justus autem ex fide viret. Rom. 4. 20, 21, 22, 23, 24, 25. Ad hanc promissionem Dei non addubitavit Abraham incredulitate: sed corroboratus fuit fide tributâ gloriâ Deo. Ac planè persuasum habens tum quod promiserat posse etiam

tiam efficeret: quapropter hoc etiam imputatum est ei ad justitiam. Non scriptum est autem propter eum solum, quod hoc imputatum fuerat ei, sed etiam propter nos quibus futurum est ut imputetur, iis nimirum qui credunt in eum qui suscitavit Jesum Dominum nostrum a mortuis traditum morti propter offensas nostras & suscitatum ad nostri justificationem. Gal. 2. 20 21. Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam filii Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me Irritam non facio gratiam Dei, nam si per legem est justitia, igitur Christus sine Causâ mortuus est. Gal. 3. 11. nullum autem per legem justificari apud Deum manifestum est, quoniam justus ex fide vivit. v. 21. 22. numigitur lex addita est adversùs promissiones Dei? Absit nam si data fuisset lex quæ possit vivificare verè ex lege esset justitia. Sed concluſit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Philipp. 3. 6. 8, 9, 10. Quod ad justitiam quæ est in lege irreprehensus omnia duco pro stercoribus, ut christum lucrifaciam: & comperiar in eo non habens meam justitiam

qua

quæ eſt ex lege, ſed eam quæ eſt ex fide Chriſti, juſtitiam quæ ex Deo per fidem, ut cognoſcam eum, & vim reſurrectionis ejus: & Communionem perpeſſionum ejus conformatus morti ejus. Ipſe Chriſtus Joh. 3. 14, 15, 16, 18. *Prout autem Moſes extulit ſerpentem in deſerto ita extolli oportet Filium hominis: ut quiſquis credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam. Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam. Qui credit in eum non condemnatur, qui verò non non Credit jam condemnatus eſt: quia non credit in nomen unigeniti filii Dei.* Joh. 5. 24. *Amen Amen dico vobis, qui ſermonem meum audit & credit ei qui miſit me habet vitam æternam, & in Condemnationem non veniet: ſed tranſivit a morte in vitam.* Unde clarè ſatis patet, legem fidei, quâ juſtificati ſunt peccatores coram Deo ad vitam æternam ita ut non Condemnentur, non eſſe impletionem legis Decalogi, aut præceptorum, quæ cultum Dei aut mores hominum erga ſe invicem ſpectant, a Chriſto ſive additorum, ſive

a gloſſis

a gloſſis Phariſaicis explicatione vindicatorum in Evangelicis ſcriptis, obſervationem ſive perfectam quoad partes & gradus ſive quod gradus imperfectam, perfectam verò quoad partes propter animi ſinceritatem: ſed fidem in Deum, promittentem, in Chriſtum mortuum, ſuſcitatum a mortuis, ad dexteram Dei intercedentem pro nobis.

Quod verò ait [Jac. 2. 12. *legem libertatis eſſe eandem cum lege regiâ v* 8. *eamque eſſe legem Decalogi ibi expreſſam, & ejus judicio nobis Chriſtianis ſtandum eſſe, & judicandos eſſe*] in plurimis erratur nam 1ò non evincitur legem libertatis *v.* 12. eſſe eandem cum decalogo, quia *v.* 11. nonnulla ejus legis præcepta ſpeciatim enumerantur. Nam quanquam ea præcepta ſint decalogi, non tamen ſunt integer decalogus, & quanquam non negaverim ea præcepta aliquo modo ad legem libertatis pertinere, utpote in Evangelio mandata, non tamen ea ſunt ipſiſſima lex libertatis. 2ò nec evincitur legem libertatis *v.* 12. eſſe eandem cum lege regiâ *v.* 8. quia recitat ſummam ſecundæ tabulæ ut regiam

giam legem. 3ò nec dici *regiam quia Christi regis nostri*. Nam ea summa legis a Deo supremo rege data est *Levit.* 19 18. ipso Christo sic legis doctorem instruente *Matth.* 22. 39. nec regia dicitur, quia Communis, ut via publica dicitur apud nos via regia. Forsan rectiùs *Heinsus exercit sac in locum existimat* Βασιλικὸν νόμον *dici quia lex est* τῆς Βασιλείας, *& esse eandem cum v.* 5. *pauperes æque ac divites ut hæredes regni habendos.* 4ò *lex libertatis Jac.* 2. 12. eadem videtur esse cum *lege perfectâ quæ est libertatis*, cujus mentio est *Jac.* 1. 25. Quæ sanè videtur eadem esse cum *verbo veritatis, quo genuit nos pater luminum quia voluit, ut essemus primitiæ quædam ejus Creaturarum v.* 18. *idque audiendo celeres v.* 19. *quòd insitum possit servare animas v.* 22. *non auditores tantùm, sed & effectores operis, quo beati erunt v.* 25. Hoc verò dicendum est Evangelium esse, non legem moralem, hoc est decalogum sive ut traditum a Mose, sive ut a Christo expositum *Matth.* 5. & 6. & 7. prout continet præcepta morum nam sic non servat animas, aut gignit nos, ut ge-

mus

mus primitiæ creaturarum, nec factores operis per eum ulli sunt adeò, ut sint beati opere. nam sic *lex scripta tradita occidit, est ministerium mortis & condemnationis* 2. *Cor.* 3 3. 7. 9. *ad servitutem generat Gal.* 4. 24. sed Evangelium (uti vocat recte *Hammondus* nostras) & *lex Christi*, aut ut Apostolus de se *Rom.* 8. 2. *lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit meâ lege peccati & mortis, & Petrus* 1 *Epist.* 1 23. 25. *Regeniti non ex semine corruptibili sed incorruptibili, id est per sermonem Dei vivi & manentis in æternum: verbum Domini manet in æternum hoc autem est verbum illud quod Evangelizatum est vobis.* 5ò non est verum quod ait [νόμος Βασιλικὸς & νόμος ἐλευθερία. lex libertatis *per quam nos judicatum iri affirmat Jacobus non est nisi ipsissima lex moralis prout sc. eam & exposuit & perfecit Christus ipse, atque a monte (sinai succedanto) tanquam legem suam discipulis tradidit, additâ sanctione, quâ ut obedientibus firmissima immortalitas promittitur, ita immorigeris ineluctabilis denuntiatur interitus Matth.* 7. 24. & *deinceps.*] nam non obedientibus legi

morali

morali sive ut a Christo expositæ aut perfectæ firmissima promittitur immortalitas, *sed quærentibus primò regnum Dei & ejus justitiam Matth.* 6. 33. 60 Falsum est quod dicit [*ipsissima lex moralis sicut a Christo exposita aut perfecta in monte νόμος ἐλευθερίας est, primò quòd liberat nos a servili ceremoniarum Mosaicarum jugo. Deinde quòd per ipsam solam a reatu ac pœnâ peccati liberemur. Ac denique* νόμος ἐλευθερίας *vocatur (imò ideò præcipuè) quòd a dominatrice ni ac tyrannide peccatinos liberet, sub cujus jugo, qui in lege mosaicâ manserunt sine ullâ libertatis spe frustrà ingemuerunt*]. Nam non ipsissima lex moralis nos a ceremoniarum jugo liberat. Post enim Christi sermonem in monte duravit vis ceremoniarum usquedum morte Christi. & prædicatione Evangelii post resurrectionem & ascensum Christi evacuatæ essent, uti ex Apostolorum decreto *Actor.* 150. & doctrinâ Pauli in epistolis *Gal.* 3. 24. 25. *Ephes.* 2. 15. 16, *Col.* 2. 14. 17. patet nec lege morali solâ a reatu ac pœnâ peccati liberamur. Hoc enim

tollit neceſſitatem mortis Chriſti, nec video quî poteſt hoc dictum a blaſphemiâ in Chriſtum uti ſe morti tradentem ſine cauſâ, ut Apoſtolus loquitur *Gal.* 2. 21. vindicari: nec ipſiſſima lex moralis a dominatrice vi ac tyrannide peccati nos liberat, ſed liberationem iſtam effecit in nobis ſpiritus Chriſti, qui legem Chriſti individuo nexu comitatur, ut verè dicit: ſed non eſt iſta lex Chriſti ipſiſſima lex moralis. Adverſatur enim Apoſtolus *Gal.* 3. 2. *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex fide per auditum perceptâ?* *Gal.* 4. 28. *Qui nati ſecundùm ſpiritum filii promiſſionis, qui ex lege ſecundùm carnem, miniſterium legis literæ miniſterium non ſpiritus* 2 *Cor* 3. 6. Quid ergo in hac re ſtatuendum dices?

Reſpondeo, Judicium Dei duplex: alterum, cum peccator ad fidem Chriſti vocatur, unde juſtificatio eſt à reatu & pœnâ peccatorum, eaque abſolutio eſt ex fide ſolâ. Alterum eſt judicium extremum, quod fit κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν *Matth.* 16 27 & 12. 36 37. in quo præcipuè opera miſerecordiæ erga ſanctos

ſpectantur

ſpectantur *Matth.* 25. 40. Quod & parabola de divite & *Lazaro* docet *Luc.* 16. 25 atque hoc *Jacobum* reſpexiſſe verba ipſa docent *Jac.* 2. 12. 13. Nec abnuo in hoc judicio legem moralem ut a Chriſto expoſitam eſſe eam ſecundùm quam juſtificantnr juſti, aut huc ſpectare quæ habet Chriſtus *Matth* 5. 20. *Matth.* 7. 24 & deinceps. Et ſi quando juſtificet Deus fidelem in hâc vitâ tanquam ſincerun ſervum, ſicut *Jobum* juſtificavit a Satanæ criminatione ac ſi hypocrita eſſet propter divitias Deum colens, tum juſtificat ex operibus non ex fide tantùm, atque hanc juſtificationem voluiſſe *Jacobum*, quum *Abrahamum* & *Rachabam* juſtificatos ex operibus aſſereret. Nec inficior fidem quæ valet ad ſalutem proferre obedientiam omnibus præceptis moralibus utpote per Charitatem operantem *Gal.* 56. & rejicio dogmata, quæ congerit iſte Author ut ſoventiæ Antinomorum, Libertinorum, Familiſtratum atque aliorum ejuſdem farinæ opiniones. Sed & penitùs abhorreo ab hujus Authoris ſententiâ ſtatuente [*per ipſam ſolam moralem legem a*

reatu ac pœnâ peccati liberari] Cum Evangelio & Ecclesiâ *Anglicanâ* sentio *propter meritum sive mortem Christi solâ fide a reatu ac pœnâ peccati justificamur & liberamur*, & in syllogismis ejus minorem nego, in quibus dicit [*sola fide sine operibus nemo per legem Christi absolvitur, fide solâ sine operibus nemo legem Christi implet*] balque propositiones negando nego me in has manifestas absurditates impingere, *fidem solam esse totam illam justitiam quam lex Christi postulat; sive nihil per legem Christi nobis sub periculo animæ mandari præter fidem.*

Animadvesiones in caput quartum.

§. 1. Sic arguit *Bullus* [*si fides per se atque a cæteris virtutibus distincta concipiatur nullus est ejus actus, qui salvificus sit, vel qui in improbum ac prorsùs injustificatum non possit cadere: ergo fide solâ sine cæteris virtutibus planè impossibile est ut quis justificetur. Ut probet antecedentem Contendit notitiam, assensum, & fiduciam posse ininjustificato reperiri: Hi vero*

vero actus ſunt omnes actus quò in fide per ſe concipiantur. De novitia vapulare ait Cameronem ab Epiſcopio quòd affirmaret cognitionem quandam electiæ peculiarem, quæ ex naturâ ſuâ ſemper ſit efficax & ſalvifica, & quam alicubi appellat lucem dirigentem, ac denique ex quâ tota hominis ad Deum converſio neceſſariò pendat] Cui repono, legiſſe me *Epiſcopii Examen* c. 2. 3. quæ citat Author iſte, & quanquam non in me recipiam defenſionem *Cameronis* ſententiæ, voluntatem ſc: ſemper ſequi ultimum judicium intellectus practici, quippe adigeret ad ſcholaſticũ examen variarum quæſtionum de diſtinctione intellectus & voluntatis, in quo conſiſtat liberi arbitrii natura, an determinationi propoſiti Divini, aut efficaciæ, aut judicio intellectus practici ſubſit? Rationes tamen, quas ibi urget *Epiſcopius*, non me movent. Quippe poſito, quod voluntatis electio ſequatur determinationem intellectus practici, donum ſpirituale, ſeu actuale ſeu habituale dicatur, quod infunditur in animam hominis tam in voluntatem hominis ut ſequatur, quàm in intellectum, ut rectè

judicet, infundetur, &, sive Ethicus sive physicus motus spiritus sancti actus dicatur, parùm refert, si constanter atq; absq; aliquâ frustratione judicium illud intellectus voluntatis actum elicitum trahat. Sed mihi videtur sententia hujus Authoris admodùm deviare a sacræ Scripturæ locutionibus. Servator enim ipse sic ait *Joh.* 17. 3. *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Jesum Christum, & Paulus* 1. *Cor.* 2. 14. *Animalis homo non potest intelligere ea quæ sunt spiritus Dei*, & in hoc argumento *Isai*: 53. 10. *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos; quorum iniquitates ipse bajulaverit*, ut loca alia quamplurima omittam. Est ergo notitia aut cognitio in fide, ut a cæteris virtutibus distincta quæ est salvifica, nec in injustificatum potest cadere, quam appretiativam, æstimativam, aut affectivam cum scholasticis dicas; & hoc confirmatur ex iis quæ habet hic Author *dispert. poster. c.* 5. §. 2.

Idem dici potest de assensu fidei. Fuit in Eunucho *Acto.* 8. 37. assensus mentis,

tis, qui fides erat per se atque a cæteris virtutibus distincta (nemo enim motum spe aut charitate aut patientiâ aut aliâ virtute præter fidem dixisse eum, *Credo Jesum Christum esse filium Dei*, autumabit, Qui congruè loqui noverit) Fuit verò assensus qui nec in Diabolo, nec in reprobis reperitur: quippe *toto Corde* nuncio isti assensus erat ut *Evangelizanti pacem & Evangelizanti bonum*, quemadmodum *Apostolus* ait de prædicantibus Christum, *& corde creditur ad justitiam Rom.* 10. 10. 15. Quod de reprobis & Diabolis dicendum non est. Et, *si nihil valeat apud Deum, nisi pietatis praxim post se trahat*, tamen causæ Authoris istius officit, si justificet ut distincta a pietatis operibus quæ producit, & virtutibus coniunctis in eâdem personâ ut si dicamus, nihil valet lux ignis sine calore tamen effectus tribui potest luci qui non tribuitur calori. Rectè dicit *Samuel Wardus Determ* 5. pag. 28. *Sola fides justificat quo modo non obstante cohærentiâ & unione omnium membrorum in corpore integro solus oculus videt, sola lingua gustat.*

De

De fiduciâ latiùs agit *Bullus*, & primò quærit [*quid per fiduciam Solifidiani velint*] non dissiteor plurimos e *Lutheranis* eam animi certitudinem, quâ quis nullâ omnino conditione suspensus credit peccata sibi ac tu remissa esse, & Christum mortuum esse pro seipso fidem justificantem vocâsse, & forsan non satis cautè locuti sunt, ut Certitudinem salutis in fidelibus asserant contra incertitudinem, quam Pontificii plurimi docent ut magis in rem suam, ne absolutiones, indulgentiæ, missæ privatæ & hujusmodi merces vilescant ut nullius pretii. Quanquam etiam inter ipsos Catharinus, Marinarius, aliique Collegæ etiam in concilio *Tridentino* militabant pro certitudine salutis in hâc vitâ ex fide. Sed missis istis ita dictat *Bullus* [*sciendum est igitur, quòd cum fides in novo testamento* (*ubi spectatur a ceteris virtutibus distincta*) *in assensu mentis ponenda statuatur, ut sit nihil aliud quàm assensus talis quo Christum credimus passum, mortuum atque excitatum a mortuis, ac propterea vera esse, quæ Dei nomine sive præcipiendo sive promittendo nobis attulit*: (*consule Rom.* 4. 20. 21. 24.

24 *Heb.* 11. 1. 1. *Joh.* 5. 4. 5. *Joh.* 8. 24.) *assensus tamen iste post se fiduciam aliquam trahere aptus natus sit*) Quæ Socinianorum doctrinam videntur redolere statuentium Christum mortuum non ut justitiæ Divinæ satisfaceret pro peccatis, sed ut morte confirmaret doctrinam suam, eóque fides in sanguine ejus exponitur ac si non aliud esset quàm assensus historiæ de eo & præceptis ejus, ut à Deo, quibus morte testimonium præbuit. *Sed in Homiliâ de salute parte* tertiâ dicitur, *veram esse fidem habere firmam fiduciam & certa fidentiam in misericordibus Dei promissionibus*, & *Bullus* ipse in *dissert post*: c. 18. §. 6. exponens verba articuli undecimi Ecclesiæ *Anglicanæ* sic ait; *Additur quidem propterea quod ad hominis justificationem necessaria imprimis sit fiducia de meritis Jesu Christi, Cum meritorum nostrorum perfectâ abrenunciatione Conjuncta.* Quomodocunque verò Sociniani aut *Bullus* sentiant, nos statuimus fiduciâ in Christum mortuum & resuscitatum justificari, nec hanc fiduciam injustificatis competere. Didicimus hæc ab Apostolo qui sic docuit *Rom.* 3. 25. *Quem*

proposuit

proposuit Deus *propitiationem per fidem in sanguine ejus.* Ubi *fides in sanguine ejus* non est alia quàm fiducia in ejus sanguine fuso ut propitiatione pro peccatis nostris, non verò ut *Grotius in annot doctrinæ per sanguinem Christi Sanctæ, sicut fœdera sanciri sanguine solebant.* Non enim allusio est ad sanguinem sacrificiorum quo liber & populus aspergebatur *Exod.* 24 8. *Heb* 9. 19. sed ad sanguinem quo propitiatio facta est, de quo *Levit.* 16. 2. &c. mentio est, quod vocabulum ἱλαστηριον ostendit. Sacrificia verò *Exod.* 24. 5. a pueris oblata non fuerunt ἱλαστικὰ sed εὐχαριστικὰ: nec pueri referebant Christi munus, sed Aarón, uti ex *Heb.* 9, 5. 6. &c. manifestum est. Nec puto ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν *Joh.* 3. 15. posse aliter exponi quàm in eo fiduciam habens, ut qui a pereundo servat in cruce elatus, sicut aspicientes serpentem elatum in deserto fiduciam habuerunt remedii contra serpentis morsum mortiferum. Quod ulterius confirmatur ex eo quod *v.* 18. dicitur ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν ὐ κρίνεται, idemq; *v.* 36. sonat *Joh.* 6. 40. & 11. 25. 26. & 14. 1. *Actor.* 10. 43. & 13. 39. *Rom.* 9.

33. & 10. 14. 1 *Pet.* 9. 6. Imo ad instantiam istius authoris provoco, num ἐδυναμώθη τῇ πίστει *Rom.* 4. 20. alium sensum possit habere quàm corroboratur erat fidacia, *qui contra spem sub spe credidit v.* 18 & τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείροντα ἰησοῦν sit aliud quàm fiduciam habentibus in eum qui excitavit Jesum, & an non ὑποστάσεως *Heb.* 3. 14. sit reddendum *fiducia*, & ὑπόστασις ἐλπιζομένων *Heb.* 11. 1. quæ de fide prædicatur non sit *fiducia sperandorum*, & cum dicitur *fide Abrahamum obtulisse filium Heb.* 11. 17. 19. non sit, *ex fiduciâ in Deum qui suscitaret mortuos.* Nec credendi præceptum *Matth.* 21. 22. *Marci.* 11. 22. 24. *aut Jac.* 1. 6. rectè exponi possunt quin ut fiduciam fides involvat. Præterea fiduciam includi in verbo πιστεύουσι quod habetur *Rom.* 3. 2. 1. *Cor.* 9. 17. 1. *Thes.* 2. 4. 1 *Tim.* 1. 11. 2 *Tim.* 1. 3. ex ipsis loquendi formulis per se patet. Quod ulterius confirmatur ex usu τοῦ ἐμπιστεύειν, καταπιστεύειν, πιστεύειν, ἐν, ἐπὶ in Græca lxx interpretatione veteris testamenti & libris apocryphis. *Deut.* 1. 32. 2 *Paral.* 20. 21. *Job.* 15. 15. 31. *Psal.* 78. 22.

Daniel.

Daniel. 6. 23. *Mich.* 7. 5. *Sapi:* 12 2: & 16. 26. *Syrac.* 2. 10. 13. & 4. 16. 17. & 11. 21. & 12. 10. & 16. 3. & 32. 23. 24. & 33. 3. & 36. 26, & 38. 31. 1. *Mac.* 7. 7. & 8. 16. 2. *Mac:* 3. 12. 22. 1 *Paral.* 9. 22. 26. 31. ex quibus evincitur non solùm assensum cui tribuitur justificatio post se fiduciam aliquam trahere aptum natum esse, sed & in istis formulis loquendi τῆς πίστεως ἐστὶ χρίσαι ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ *Rom.* 3. 22. 25. *Philip.* 3 9. ὁ πιστεύων εἰς ἀυτὸν πιστεύειν ἐπ αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον *Joh:* 3. 15. 11. 1 *Tim:* 1. 16. fiduciam firmam comprehendi. Imo *Grotius ipse*, cuius *verbis tribuit hic Author hujus rei succinctam & dilucidam definitionem Annot. in Jo:* 3. 15. ὁ πιστεύων εἰς ἀυτὸν.] *non quovis modo sed penitùs in Cor admissâ fide & fiduciâ & in Jo:* 6. 29. *opus est etiam hæc fiducia sed internum & in Matth.* 27: 42. *Marc.* 1. 15. *Matth.* 14. 31. Ex his *Bullus* potuit intelligere quid *per fiduciam* reverendissimus *Davenantius Determ. Quæst.* 37. p. 167. intellexit, idem scilicet quod latissimè explicat *Samuel Wardus Doctissimus* ipsius successor in professione Theologicâ *Catabrigiæ* & Collegæ

Collega coniunctiſſimus in Synodo *Dordracena* in *Determinationibus* ſeptem prioribus, ſeptemdecem Capitibus tractatus de Juſtificatione ab Epiſcopo jam *Sariſburienſi* editis, *quod probat mentem fuiſſe ſacrorum ſcriptorum, articuli Eccleſiæ Anglicanæ, ſcriptorum plurimorum cum antiquorum tum recentiorum non ſolùm è Proteſtantibus, ſed etiam è Romanenſibus.* Imò ipſe *Davenantius* expreſſè dixit eſſe *cæteris omnibus abdicatis recumbere in Chriſtum mediatorem, inniti Chriſto ad veniam obtinendam, quem actum confidendi in voluntate poſitum & propriiſſimum actum fidei juſtificantis appellat, nec eſſe aut ſpem aut charitatem.* Quod *ſi non ſit efficax fides niſi conjunctam habeat charitatem*, tamen charitati non eſt tribuenda juſtificatio ut fiduciæ iſti, quæ eſt virtus, cui ſoli tribuitur quòd in Chriſto ſimus, qui ſuâ morte & interceſſione nobis juſtificationem ſolus impetrat, *& gloriam tribuit Deo, ut de Abrahamo* dicitur *Rom.* 4. 20. Ipſe *Bullus diſſ. poſt. c.* 3. §. 7. fatetur. *Etſi charitas ſit virtus illa, quam in ſalutis negotio Deus imprimis reſpiciat, quæque ſola ex gratioſo Dei fœdere neceſſario ſecum*

nexum

nexu salutem trahat; tamen necesse est, ut huic charitati etiam fides subserviat, quippe sine quâ impossibile sit placere Deo Heb: 11. v. 6.

Quod verò ait *Gal: 5. 6 participium* ἐνεργουμένη *passivè sumendum sicut & aliàs ferè semper in novo testamento, & ideò reddendum ibi loci potius fides ad effectum productâ & consumata, quàm per charitatem efficax, atque hâc de causâ nullus dubitat, quin charitas rectè, dici possit fidei justificantis forma*] ballucinario mera est. Nam *Ephes. 3. 20. Col. 1. 29. potentia Dei* dicitur ἐνεργουμένη, quæ passivè exposita a blasphemiâ non abesset, nec *Jac. 5. 16. 1 Thes. 2. 13. 2 Thessal. 2. 7. Rom. 7. 5. 2 Cor. 1. 6. 2 Cor. 4. 12.* ἐνεργουμένη aut ἐνεργεῖται rectè redditur passivè. Nec quisquam sano sensu dixerit fidem effici per charitatem, nisi de charitate Dei erga nos intelligatur. Quòd si de charitate nostrâ erga nos invicem intelligatur *Gal. 5 6.* (uti respiciendo ad *Gal. 5. 13, 14, 15.* probabilissimum est) longiùs a veritate dictata ipsius discedunt. Quis enim dixerit fidem in Christum habere formam a Charitate in homines, &

non

non potiùs Charitatem emanare ex fide? aut si efficiatur fides a Charitate quis dixerit formam, & non potiùs efficientem? Quod si formam dicat ac si in fidei notione charitas includeretur, aut fidei differentia a cæteris virtutibus sumeretur a Charitate tanquam a formâ, inepta esset locutio, cum fides spes & Charitas sint tres distinctæ virtutes disparate oppositæ actibus & objectis diversificatæ. Imo ipse *Bullus diss. prioris c. 6. §. 8.* contrà *Cameronem* differens sibi contradicit si in isto sensu intelligat quum ait, *singulæ virtutes suam formam sortiuntur, per quam virtutes sint atque existant; neque illud ut virtutes sint a fide mutuantur.* Nec fides justificat ut forma, adeoque nec Charitas, sed ut condicio sine quâ non ex ipsa hujus authoris sententiâ: ideoque hæc dictata ipsius, quæ forsan a *Romanensibus* sine examine accepit, tanquam ægri somnia prætermitto Quòd verò ad §. 6, 7, 8, 9. istius capitis attinet, si rectè explicâsset sententiam Ecclesiarum Reformatarum, sicut *Samuel Wardus* in tractatu prædicto aliique exponunt, non *error* esset vel levis multò minùs *putidissimus aut in fide*;

nec si dictum Apostoli *Rom.* 8. 15, 16, 17, animadvertisset *certitudinem salutis immediatam inanem phantasiam* reputasset, nec propter abusum doctrinæ, qui a sciolis aut Carnalibus fit, adversatus esset *articulo* 11° *Ecclesiæ Anglicanæ*, in quo dicitur, *quare solâ fide nos justificari doctrina est salutherrima ac consolationis plenissima, ut in homiliâ de justificatione hominis fusiùs explicatur*, non percipiens quòd in castra Pontificiorum opponendo hanc vel transfugit, vel saltem *Francisæ a S. Clarâ* technas renovat, quæ ad Antichristianismum nos reducerent, Evangelium que & pietatis virtutem everterent.

Animadversiones in Caput quintum.

In quarto argumento *Bulli* majorem hanc nego [*Quomodo quisque in futuro sæculo a Deo judicabitur eodem planè modo in hâc vitâ a Deo justificatur.*] nam justificatio in hac vitâ, quam iste appellat *Constitutivam*, est absolutio peccatoris, in judicio ultimo declaratio quis fuerit justus.

justus. Prior est ex fide solâ, posterior est ex operibus. Nec verum est [*adjudicationem præmii æternæ vitæ esse actum eundem cum actu Dei in hac vitâ justificantis*] nec [*Verba Pauli Rom. 4. 3. 4. per hanc phrasim* μισθὸς λογίζεται *exprimunt quod dixerat prius* λογίζεται εἰς δικαιοσύνην] Hoc enim meram absolutionem ab accusatione & condemnatione eamque gratuitam denotat: alterum remunerationem, persolutionem aut donationem aut ex debito vel merito. Nec verum est [*imputare alicui aliquid in justitiam, & imputare alicui ob aliquid præmium eadem planè esse, vel saltem in eadem justificationis notione Contineri.*] Justificatio enim potest esse & sæpe fit ubi non imputatur alicui ob aliquid præmium.

Animadversiones in caput Sextum.

Satis constat ex verbis supra citatis in Homiliæ de salute hominis parte primâ excludi cæteras virtutes præter fidem ab officio justificandi, ideoque malè dicit iste Author [*effatum illud ex solâ fide*

ſine operibus hominem juſtificari Confeſſionum Authores eo ſenſu explicare quem ipſe pronis ulnis amplectitur, aut ſententiam iſtam eſſe figuratè accipiendam, ac. propriè loquendo fidem cæteraſque virtutes bonaque opera ad juſtificationem æquè valere atque eſſe neceſſaria: nec quicquam majus fidei in iſto negotio tribuendum quàm cæteris virtutibus: adeoque ſe, quatenus a juſtificatione bona opera excludunt eatenus & ipſam fidem rejicere].

Quæ §. 2. habet de *Lutheranis* & aliis Reformatis, si προσῆν εἰς τὸ σωφρονεῖν didiciſſet, omiſiſſet. Nihil certè eſt ridiculi in hoc dicto, *Fides quæ non parit Charitatem & bona opera non juſtificat, & tamen Charitati & bonis operibus non eſt tribuenda juſtificatio*. Plurima dari poſſunt cùm in rebus naturalibus tum in civilibus & moralibus, in quibus ad effectum plurima concurrant neceſſe eſt, effectus verò vel conſequens uni tantùm tribuitur. In medicinis plura inſunt neceſſario, uni tamen tribuitur ſanitas. Ad prætoris electionem juſtitia, prudentia, opulentia conveniant oportet in eligendo; electio tamen ſoli juſtitiæ aut prudentiæ

dentiæ tribuitur. Ad ædificationem ars & motus membrorum coeant oportet, ædificium arti tamen tribuitur, ideoque forsan magis ridiculus est Author iste, quàm ii quos deridet, e quibus pares esse plurimos alii censebunt Remonstrantibus, quos Theologos longè doctissimos indigitat, aut *Grotio* quem tanti facit.

Quod verò è *Jacobo* affert ἀπροσδιόνυσον est, nisi justificationem eandem probet apud *Paulum* & *Jacobum* intelligi. Ipse *Bullus* justificationem apud *Paulum* exponit de absolutione a condemnatione per remissionem peccatorum, quâ liberatur quis à culpâ aut pænâ peccatorum. At *Jacobus* ne gry quidem habet *c.* 2. 21. 23. 24. 25 de istâ justificatione, sed de justificatione quâ absolvitur aut fides aut fidelis ab accusatione hypocriseos aut insufficientiæ, imperfectionis, & inutilitatis: ideoque si concedatur [*fidem & opera in negotio justificationis cooperari & fidem ex se imperfectam esse, ad finem justificationis non perduci nisi bonis operibus*] nihil ipsius causam juvaret, nisi probâsset cooperari ad justificationem fo-

rensem quæ est absolutio ab accusatione coram Deo, cui obnoxius erat peccator propter peccata etiam gravissima, adeò ut censeretur justus non condemnandus, sed liberandus a culpâ & pœnâ eorum peccatorum, quæ ante fidem Christi commiserat, idque propter bona opera externa, quæ plurimis annis a vocatione ad fidem edidit. Sic enim de *Abrahami & Rhahabæ* operibus dicendum est Quæ sententia si non operibus nostris id tribuat quod obedientiæ Christi unicæ ubique Scriptura tribuit, destitui me intellectu fatebor.

Verba *Jacobi c. 2. v. 22:* Βλέπεις ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ fateor obscura esse. Nescio an sine solœcismo dici possit, *Fides cooperatur operibus* ac si operatio tribueretur operibus, & fides & opera coniuncti operatores dicerentur, nescio quomodo fides & opera cooperari dicantur ad justificationem coram Deo, præcipuè juxta hujus Auctoris sententiam, *qui ne instrumentalem quidem causam justificationis coram Deo velit esse opera aut fidem, sed solùm conditionem*: Multò minùs percipio quî verum

sit

sit quod ait §. 6. [*certum est vocem πίστις in hoc Jacobi loco significare, perfectionem non tantùm ostendere sed & revera adjicere. Patet illud ex phrasi antecedente, quâ fides & opera dicuntur cooperari. Hinc enim manifestum fit opera fidem perficere non solùm ostendendo sed & ei cooperando, h. e. vim ac virtutem aliquam addendo*] sed hæc gratis dicuntur. Cooperari enim possunt dici, quorum unum alteri non addit aliquam vim ac virtutem, sed ab utroque effectum producitur. Sic qui dicuntur συνεργοῦντες 2. *Cor.* 6. 1. sive cum Deo aut Christo (quod verisimilius è Collatione cum 2. *Cor.* 5. 20.) aut cum collegis in legationis munere, non alter alteri vim aut virtutem aliquam addere intelligitur, sed conjungere operam in eodem negotio. Nec scio quem sensum habeant verba juxta *Bezæ* intepretationem, *Vides fidem administram fuisse operum ipsius & ex operibus fidem ad finem perductam fuisse.* Nam si ex operibus fides ad finem perducta fuit opera potiùs dicenda essent administra fidei, quàm fides operum ipsius. Mens certè *Jacobi* hæc videtur fuisse,

vides fidem ex se produxisse opera ipsius, uti *Piscator* in *Scholiis* explicat, idque infertur cum ex serie verborum *apud Jacobum* tum ex dicto consimili *Heb.* 11. 17. *Fide obtulit Abraam Isaac cum tentaretur*, ideoque vel dicendum συν vacare in συνήργει (quod Lexicon Græcum observat aliquando fieri in compositione) & sic sensus esset. fides efficax erat in operibus ejus, aut si cooperari dicendum esset potius συνήργει θεῷ ut 2. *Cor.* 6. 1. hoc est συν θεῷ ad Dei præceptum in operibus subaudiendo ὢν, quod non rarò fit in hujusmodi locutionibus. Sed quomodocunque exponantur verba ad sensum *Bulli* nihil facere ostendi. Nec commodiùs exponi potest sive seriem & scopum textus, sive rem ipsam, sive usum verbi ἐτελειώθη animadvertamus, quod dicitur καὶ ἐκ τῆς ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη quàm Camero exposuit. *Fides hic à Jacobo dicitur perfici operibus: non quod opera fidem perficiant, sed quòd fides, dum producit opera, ostenditur quàm sit perfecta: quomodo* 2. *Cor.* 12. 9. *Christi virtus perfici dicitur in infirmitatibus, quia tunc scil. se maximè exerit & prodit.* Ut opera,

quæ

quæ à fide prodeunt, adderent vim ac virtutem fidei quasi ab iis perficeretur in se dici non potest, cum fides ordine naturæ saltem priùs existat ut causa est prior effectu. Nec vi ac virtute justificandi opera *Abrahami* induebant fidem: Quippe ante oblationem filii *Credidit Deo & imputatum est ei in justitiam* Gen. 15. 6. Author ad Hebræos c. 11. 4, 5, 6. Fidei tribuit quod *opera Abelis & Enochi placerent Deo*, eoque fides potiùs in isto sensu perficere opera quàm opera fidem diceretur. Quod si dicendum esset in negotio justificationis opera perfecisse fidem de aliâ justificatione intelligendum esset quàm eâ de quâ quæstio instituitur, an solâ fide in Christum justificetur a peccatis homo apud Deum? De quo forsan in sequentibus agetur.

Quod verò addit *de præstantiâ Charitatis* nihil est ad rem. Nam fidei usus in justificando non sumitur ex ejus præstantiâ; sed ex eo quòd per fidem inesse Christo dicimur, ideoque jus ab ejus obedientiâ obtinemus ad justificationem Evangelicam. Similitudo *Jacobi c. 2. v. 26.* non probat *opera esse veluti animam*

mam fidei, adeò ut vitam eident, aut agant in negotio justificationis sicut anima in vitales actus corporis producendo, nec uti dissert post. c. 2. §. 3. ait verum est certè Apostolus Jacobus apertè docet omnem fidem per se mortuam esse, & non nisi ex operibus vitam suam accipere h. e. sine operibus nihil valere apud Deum ad salutem.] Nam justificatio est opus Dei non opus nostrum, ideòque opera nostra non agunt in justificando sicut anima in loquendo, movendo corpus, & vitam suam accipit fides quâ valet apud Deum ad salutem non ex operibus nostris, sed ex unione cum Christo & influentiâ spiritus Sancti. Hoc solum infertur è verbis Apostoli, Fides æquivocè dicitur non vera fides, qualem Evangelium exigit si non operetur ad sobriam, justam ac piam vitam, sicut corpus mortuum æquivocè homo, si non spiret & vitæ opera exerceat.

Quæ dicit §. 10. animum ostendunt quasi nebulâ quâdam offusum [*si quis animum advertat, mox videbit opera de quibus loquitur Paulus, ab eo non tantùm*

a justificandi actu removeri, sed etiam ut nullo modo necessaria in totum reijci clarè id liquet ex loco illo Rom. 4. 5. *ei verò qui non operatur, sed qui credit in eum qui justificat impium imputatur fides sua in justitiam. Quæ verba ostendunt hominem non solùm sine operibus, sed qui sine operibus sit per fidem justificari*] Sed in verbis istis nihil est quod huc tendat nisi quod dicitur, *qui justificat impium.* Atqui *Paulus* non dixit Deum justificare eum qui manet impius etiam cum justificatur, sed eum qui fuerat impius ante conversionem, eodem planè sensu quo dixit 1. *Cor.* 6.11. *& hæc eratis quidem: sed abluti estis, sed justificati estis: in nomine Domini Jesu & per spiritum Dei nostri*, & ad *Ephesios.* c. 2. v. 5. *cum essemus mortui in peccatis convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati. Tit.* 3. 4. 5. *Eramus & nos aliquando insipientes &c. Cum autem apparuit benignitas salvatoris nostri Dei secundùm misericordiam salvos nos fecit.* De seipso 1 *Tim.* 1. 13, 14, 15. *Fui blasphemus, sed misericordiam Dei consecutus sum, superabundavit gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quæ est in*

Christo

Chriſto Jeſu. ſic dicitur Chriſtus ſuſcitare mortuos, mundare leproſos h. e. eos qui fuerant mortui & leproſi. Quòd ſi alitèr exponat *Bullus Paulum*, non ſolùm, quod nos aſſerimus, juſtificare dicetur Deus hominem ſine operibus, ſed etiam eum qui facit mala opera, etiam peſſima, unde denominatnr impius. Quod *Bulli* dogmati adverſatur ſtatuentis tam bonis operibus, quàm fide juſtificari. Eodem modo reſpondemus iis quæ proxime apud *Bullum* ſequuntur [*Nec minùs dicit Paulus (niſi ipſius verbis manifeſtam vim faciamus) in concluſione iſtâ*, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου *Rom.* 3. 28. *Ibi enim phraſi iſtâ* χωρὶς ἔργων *opera non tantùm a juſtificatione, ſed etiam ab eâ fide quæ juſtificat, atque ab ipſo homine qui juſtificatur ſejungi planum fit*]

Itane? Ergo tu πλάνος contradictor *Pauli, qui aſſeris fidem quâ juſtificamur includere bona opera, nec hominem juſtificari niſi qui bona opera, faciat.* Opera legis certè ſunt bona opera, & ea lex intelligitur apud Paulum per quam eſt *Cognitio peccati Rom.* 3. 20. *quæ prohibet concupiſcentiam Rom.* 7 7. ſi ergo opera iſta ſejungantur

ſejungantur non tantùm a juſtificatione, ſed etiam ab eâ fide quæ juſtificat atque ab ipſo homine qui juſtificatur, non convenit *Paulo* cum *Jacobo*, Libertinorum & Antinomorum cauſam agis, & quæ deſtruxeras rurſùs ædificas, tranſgreſſorem teipſum conſtituis, niſi ita *Jacobo* adhæreas, ut *Pauli* authoritatem abjicias, teipſum tuo gladio percutis, quum dicis [*Quapropter οὐδὲν φάρμακον eorum qui opera cum fide juſtificante, licet non in ipſo juſtificandi actu, neceſſariò conjungi ſtatuunt ut per ſe abſurdum eſt, ita Pauli verbis nullo modo quadrat quorum tamen interpretandi gratiâ excogitatum fuit*] Liceat mihi reponere. Non dicit *Paulus*, Deum non juſtificare eum, qui habet bona opera, aut cujus fides bona opera producit, ſed juſtificare eum qui non habuit bona opera ante juſtificationem, & propter fidem abſque intuitu ad bona opera ut rationem juſtificandi. Habet reſpenſum cenſor iſte, evertat ſi poſſit.

Nec rectiùs arguit. §. 11. [*hypotheſis eſt Reformatorum Theologorum, bona opera ad ſalutem obtinendam ſunt omninò neceſſaria, ergo bona opera ad juſtificationem etiam*

tiam non minùs necessaria statui debere.]
Nam qui asserunt bona opera ad salutem obtinendam necessaria esse intelligunt de salute (de quâ 1. *Cor.* 5 5.) in ultimo judicio, in quo qui salutem obtinent præmium habent, ut qui cucurrerunt agonistæ in stadio olympico: sed in justificatione vocationem sequente in hâc vitâ absolutio est solummodò a reatu peccati quo tenebantur peccatores ante vocationem ad fidem, ut qui sistebantur vincti ad tribunal Judicis. In hâc justificatione non, agnoscunt omnes, conferri præmium vitæ æternæ prout jus ad gloriam cælestem comprehendit. Nec est pactum Dei hanc justificationem aut salutem operibus obtineri, sed fide in Christum cujus intercessione acquiritur. Nec tamen negant quod asseritur *Apoc.* 22. 14. 2 *Thes.* 1. 7. *Heb.* 6. 10. 2 *Tim.* 4. 8. bona opera necessaria esse ad salutem aut gloriam in adventu Christi ad judicium, aut mercedem vitæ æternæ operibus nostris ex justitiâ dari cum hac cautione, quam Author iste adhibere debuit, ne Pontificiorum doctrinam amplecti videatur, Jus istud non ex dignitate & merito operum

ex

ex condigno oriri, sed ex benignitate Divinâ, nec dari mercedem istam ut ex justitiâ sive distributivâ sive commutativâ reputante æqualitatem, commensurationem, & condignitatem ad opus debitam, sed ex justitiâ sive fidelitatis, sive condecentiæ & congruitatis cum regimine quod Dominus erga mundum aut ecclesiam exercet. Atque ita adhuc confido *me nec rationem nec veritatis amorem fugisse in hoc responso*, nec quod dicitur *Tit.* 3. 5. *Ephes.* 2. 8. 9. (quæ de salute in primâ conversione & justificatione annexâ intelliguntur) meam, sed Authoris istius sententiam opponit, qui statuit ad justificationem forensem in hac vitâ per remissionem peccatorum obtinendam tam bona opera quàm fidem esse necessaria. At qui istâ ratione meritis Christi detrahitur, cujus morte justificamur ut propitiatione pro peccatis, nec ullo opere nostro nisi fide in Christum recumbente nobis applicatâ. Atque hæc de dissertatione priori Harmoniæ Apostolicæ dicta sunto.

Animad-

Animadverſionès in caput primum diſſertationis poſterioris.

C. 1. §. 5. Ut occurrat argumento è *Gen.* 15. 6. *Abraham* coram Deo juſtificatus eſt, ergo *Jac.* 2 21. juſtus declaratus coram hominibus ſic reſpondet [*objectio hæc falſo nititur ſuppoſito, nempe juſtificationem eſſe actum (ut loquuntur) inſtantaneum, uno momento ſimul ac ſemel completum, quod nullo modo admitti debet. Eſt enim juſtificatio actus continuus, ac tam demum perfectus & conſummatus, cum quis conditionem fœderis per quod juſtificatur, perfectè & ad finem uſque adimpleverit. Etiamſi igitur fuit ante juſtificatus, dici nihilominùs potuit etiam tum juſtificari, cùm filium ſuum unicum voti ſaltem Deo immolavit. Immotum ſe Deo plenisſimè approbatum dedit, actu ſc. obedientiæ verè admirando, & major aut nobilior ab homine vix expectari potuit. &* c. 12. §. 29. p. 274. *Certum eſt juſtificationem eſſe actum continuum, neque antè obitum perfectum & conſummatum.*]

Quod ſi verum, neque *Abraham* perfectè

perfectè justificatis fuit cùm obtulit filium, quod factum est longè ante obitum. Sed pace tanti viri dixerim, nec rectè genuinam notionem justificationis retinet, nec bene objectionem solvit. In priori parte c. 1. dixerat justificationem forensem esse, & absolutionem accusati ab accusatione, & in hac justificatione proculdubiò Abrahamus justificatus est completè Gen 15 6. idque planè asseruit & probavit Apostolus *Rom.* 4. 3 &c. *Gal.* 3. 6. nec de hac justificatione *Gen.* 22. aut *Jac.* 2. 21. aliquid occurrit, quo probatur justificatum *Abrahamum* per immolationem filii ab accusatione aut condemnatione peccatis ipsius ante vocationem debitâ. sed de justificatione, quâ ab omni suspicione aut criminatione hypocriseos coram Deo vel hominibus liberatus erat *cùm tentatus erat*, uti dicitur *Heb.* 11. 17. & *fides ejus operativa in operibus erat*, *iisque fides perficiebatur*, aut ad ἔργων perducta, atque adeò complementum ulterius additum ei Scripturæ, quæ dixerat *credidisse Deo Abrahamum*, & *fidem ei imputatam in justitiam*, hoc est, ut verè fidelis, & Dei constans sectator,

tor, & amicus Dei vocaretur, vel ut Author iste ait, *se Deo plenissimè approbatum dedit.* Quanquàm ergo *Jacobum* non existimem de justificatione coram hominibus solùm loqui, sed de justificatione etiam coram Deo, tamen censeo eum non loqui de justificatione, quam *Abrahamo* asserit *Paulus Rom.* 4. 3. &c. *Gal.* 3. 6. quam nos soli fidei cum *Paulo* tribuimus, & de quâ quæstio proposita erat ab hoc authore *dissertatione priori c.* 1. sed de aliâ justificatione coram Deo sive in hac vitâ, qualem habuit *Jobus Jobi* 10. & 420. aut in die judicii futurâ de quâ Christus *Matth.* 12. 36. 37. & 16. 27. De hac justificatione intelligi *Jacobum* suadet ejus dissertatio à *c.* 12. ad finem capitis, & quod sequitur initio *c.* 3. nec negaverim hanc justificationem tum demum perfectam & consummatam cum quis operativus pietatis & Charitatis ad finem perseveraverit, *certamen illud præclarum decertans, cursum peragens & fidem servans*, ut loquitur Apostolus 2. *Tim.* 4. 7. De justificatione verò alterâ, quum *Richardus Baxterus* in *Aphorismis de justificatione Anglicano* sermone editis anno

1646

1649. theſi 59 ſic ſcripſerat [*Juſtificatio non eſt actus inſtantaneus inchoatus & finitus immediatè ſimulac credimus, ſed actus continuus. Qui etiamſi ſit in ſuo genere completus ab initio, tamen eſt ſemper in fieri uſque ad juſtificationem finalem in die judicii*] hanc animadverſionem ad eum miſi (quàm unà cum aliis de hoc argumento animadverſionibus me inconſulto edidit anno 1658 unà cum ſuâ reſponſione) in hæc verba. Juſtificationem pro actu continuo habes: cum verò actus ſit tranſiens, reor haud rectè dici actum continuum (qui motum ſucceſſivum inter terminum a quo & terminum ad quem importat): quandoquidem actus (Dei juſtificantis à peccatis) ſive per ſententiam ſive per fœdus non eſt talis motus. Haud negandum beneficium & virtutem ejus continuari: ſed opinor actum non eſſe continuum. Si non ſemel, ſed ſæpè ſit, potiùs vocaretur actus renovatus, repetitus, iteratus quàm continuus. Propenſus ſum ad hanc opinionem ſemel juſtificari hominem in hac vitâ, etſi frequens ſit remiſſio peccatorum. A quâ ſententiâ nondum dimoveor aut in

quæ reſcripſit *Baxterus*, aut iis quæ apud *Georgium Donnamum* Epiſcopum Derenſem legi in tractatu *de Juſtificatione l. 1. c. 1.* ad quem *Baxterus* me remiſit, nec de hac juſtificatione, quam in cælis coram Angelis latâ ſententiâ peragi a Deo probabile mihi videri ſupra dixi, verum puto, quod iſte Author hîc dictat ſed pergo.

Animadveſiones in caput ſecundum.

Quod *c. 2. §. 1. 3.* ait [*eos qui Jacobum ixquiunt fidei mortuæ juſtificationem proſus detrahere, de fide falſâ fucatâ quæ eſt fidei tantùm larva, non vera fides, quæ in genere fidei imperfecta eſt, ac verâ fidei naturâ planè caret, non eſt ipſa fides, ſed ſimulata*] Neſcio an quiſquam ita ſe exprimat. Hic eſt ſenſus meus. Quod loquitur *Jacobus c. 2. v. 14. 17. 20. 24. 26.* De fide inſufficienti aut inutili, intelligit de eâ fide, quæ licèt ſit dogmatica, & quoad notitiam rei creditæ & quoad aſſenſum vera, non ſimulata, non eſt tamen vera quoad entitatem fiduciæ Evangelicæ,

gelicæ, quâ in Christum inseritur verè fidelis, cui soli justificationem eam non detrahit *Jacobus*, quæ obtinet remissionem peccatorum per Christum partam, de quâ est quæstio. Ideòque quod v. 19. dicitur; *Tu benè facis*, etsi probet non esse simulatam fidem de uno Deo, tamen non probat esse veram Evangelicam fidem. Nec quod dicitur *v.* 24. οὐκ ἐκ πίστεως μόνον significat ex parte hominem justificare, aut de verâ fide Evangelicâ dicitur, sed sensus est; non justificatur homo ex καθ' ἑαυτὴν uti loquitur *v.* 17. quæ etsi vera sit fides dogmatica cum asseusu non simulato, non est tamen vera Evangelica fides, quæ inserit in Christum, & δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη est nec tamen [*manifestum erit Apostolum statuere fidem de quâ loquitur etsi non solam & sine operibus, operibus tamen conjunctam justificare*] Nam Apostolus supponit istam fidem non esse conjunctam operibus, ideòqne non justificare, sed justificationem esse ex side aliâ, quæ habet conjuncta opera. Nec mihi ineptum videtur quod *Piscator*, *Pembelus*, uoster aliique amplexi sunt, sic exponentes *v.* 21. ἐξ ἔργων, *id est ex tali fide quæ*

conjuncta fuit cum bonis operibus pariendo ſcilicet *illa ex ſe tanquam natives fructus. Metonymia effectî, quippe quâ ex effecto ſignificatur cauſa precerans.* Quod verisimilius videtur, quia *v.* 23. additur, *Itaque impleta eſt ſcriptura quæ dicit, credidit autem Deo & imputatum iſt ei in juſtitiam*, & ſtatim infertur *v.* 24. *Videtis igitur ex operibus juſtificari hominem, & non ex fide tantùm.* Quæ citatio impertinens videretur & illatio inconſequens, niſi per opera fides operativa intélligeretur oppoſita fidei ſoli, hoc eſt non operanti [*quod credidit imputatum iſt ei in juſtitiam*] ſignificante fide juſtificatum & non operibus, uti *Paulus* exponit *Rom.* 4. 2. 3. *Gal.* 3. 6. 7. Quo poſito facillima eſt *Pauli* cum *Jacobo* conciliatio. Certè hæc metonymia potiori ratione elicitur è textu quàm ea, quàm in fine capitis habet Author ille, *quum opera fidei interpretatur bonam voluntatem & Charitatem.* Sed hoc omiſſo, ſi fides *Abrahami* non valuerat ipſum juſtificare juſtificatione quæ abſolvit à ſimulatione, niſi opera bona feciſſet quum tentatus, & ſi fides operabatur operibus & perficiebatur,

tur, & ut vera probata eſt, non tamen ſequitur *Jacobum v.* 14. 17. 20. 24. 26. intelligere per invalidam fidem veram Evangelicam, aut operibus æquè ac fidei veræ Evangelicæ juſtificationem a peccatis tribuere, aut detrahere fidei veræ ſine operum intuitu.

Ludit verò *Bullus* æquivocationibus *affirmando veram fidem in Diabolis*, ut de verâ fide *Jacobum* loqui *c. 2. v.* 14. 17. 20. 24. 26. aſſerat, quum ignorare vix potuit, eos qui fidem inibi negant eſſe veram intelligere de fide verâ Evangelicâ, quam ſalvificam & vivam appellant. Hanc verò nemo eſſe in diabolis dixerit, quia fiduciam nullam in Chriſto habent, *nec concordia eſt ulla Chriſto cum Belial* 2. *Cor.* 6. 15. [*Non prodeſt* fateor, *quia nullam in eis Charitatem effecit. Quod ſi hoc ideò ſit; tum quòd norint ſe irrevocabili decreto à gratiâ Evangelii ſecluſos eſſe, tum quia ita penitùs depravata ſit eorum natura, ut iis forſan (etiamſi ſpes veniæ affulgeret) Deum amare & bonum aliquod velle aut facere planè impoſſibile ſit*] ſequitur irrevocabili decreto aliquos à gratiâ Evangelii ſecluſos eſſe, & natu-

ram aliquorum ita penitus esse depravatam, ut iis forsan (etiamsi spes veniæ affulgeret) Deum amare & bonum aliquod velle aut facere planè impossibile sit. Quæ si concedantur, sequitur decretum reprobationis absolutum cum justitiâ Dei posse consistere, itaque Deum posse à gratiâ Evangelii irrevocabili decreto seclusos pœnâ infernali torquere, impossibilitatem amandi Deum ex depravatâ naturâ (etiamsi spes veniæ affulgeret) posse enasci in eis, in quibus tamen ea impossibilitas est voluntaria ex libero arbitrio, & vitiosissima, & proinde necessitas peccandi consistere potest cum libero voluntatis arbitrio, nec ejusmodi necessitatem ex depravatâ naturâ atrocitatem impietatis minuere, nec iniquum esse in Deo mandare ea opera aliquibus, in quibus est ejusmodi impossibilitas obediendi.

Non est verum, quod ait *Bullus* [*fidem diabolorum omni virtute carere, eo quod objectum fidei sive res credendæ a diabolis tantâ ac tam irrefragabili evidentiâ apprehenduntur, ut iis credere ipsis planè necessarium sit*] sed quia oderunt Deum quem

quem credunt esse, vel ut utar verbis *Estii*, quem citat *Bullus*, *l. 3. sent. dist. 23. § 5 quia assensus ille neque principaliter innititur primæ veritati, sed rationi creatæ, neque conjunctam habet voluntatis inclinationem sed rebellionem potius quâ cuperent falsum esse quod verum fateri coguntur, hinc fidei Theologicæ nomine censeri non potest.* Nec verum est [*credendi quam ponit libertatem in homine facere ut in ipso fides sit virtus.*] Quamvis enim eâ evidentiâ per spiritum Dei doctrina fidei proponeretur, ut necesse esset credere, virtus tamen esset si credendo amplecteretur. Diabolorum verò fides nec virtus nec laudabilis, non quia libertate carent, sed quia non amplectuntur Deum, quem credunt. Quod verò contendit. [*mortuam fidem Jac. 2. 17. 20. 26. esse veram fidem etsi mortua dicatur*] concedo veram dici posse in notione fidei in genere, verè enim, quibus fides mortua inest, non simulatè credunt, ut *Simon Magus* aliique: non verò erat vera fides Evangelica sicut in *Eunucho qui toto corde credebat. Fidem verò mortuam à Jacobo dici fateor, eo quod non profit aut salvet*: sed & ideò

ideò non prodeſt aut ſalvat, quia non eſt vera Evangelica & Chriſtiana fides, nec habet naturam talis fidei, ideoque quia non eſt vera Evangelica fides non operatur; non verò habet naturam veræ Evangelicæ fidei ex eo quòd operatur, ſed ideò operatur quia vera, quemadmodum non ſit arbor bona à fructibus tanquam à cauſâ, ſed ideò fructus edit bonos quia eſt bona arbor juxta ratiocinationem ſervatoris *Matth.* 12. 33. 35. & 7. 17. 18. 19. 20.

Nec eſt verum [*quòd ex hac Jacobi ſimilitudine illud ſaltem eſt manifeſtum bona opera in juſtificationis ac ſalutis negotio idem fidei præſtare officium quod corpori anima quod ad vitam attinet; h. e. quemadmodum anima facit ut corpus vivat, atque actiones vitæ exerceat; ita bona opera efficiunt ut fides vivat h. e. ad ſalutem valeat.*] Nam ſimilitudo ſic poſita ineptа eſſet ſi enim opera hoc modo eſſent ſicut anima corpori, dicerentur efficere ut fides operaretur, quòd ridiculum, ſed nec opera efficiunt ut fides ad ſalutem valeat, aut juſtificet. Nec enim operibus aut fide efficitur juſtificatio ut cauſâ, que-

quemadmodum anima facit ut corpus vivat. Justificatio enim est actus Dei, quem ille exercet ex intuitu fidei operantis, non quia opera fidei induut virtutem, sed quia demonstrant ejus veritatem. Nec verum est [*à Jacobo in terminis doceri v.* 14. *motum illum fidei quo ad salutem pertendit operibus deberi*] Bene facit quòd *simile alicubi claudicare fateatur.* Sed non rectè dicit [*quadrare similitudinem, quòd Charitas sit virtus illa quam in salutis negotio Deus imprimis respicit*] quod de Charitate, cujus mentio sit apud *Jacobum v.* 8. 13. 15, 16, 17, 18. 25. necesse est ut intelligat atque adeò de Charitate erga homines. Sed hoc intellectum de justificatione a peccatis falsissimum est, uti abundè ex epistolis ad *Romanos* & *Galatas* patet. Nec minùs falsum [*quòd sola Charitas ex gratioso Dei fœdere necessario nexu secum salutem trahat*] Nec verum [*quòd huic Charitati fides subserviat*] aut. [*ex Heb.* 11. 6. *hoc elici, aut fidem tatenùs tantùm ad salutem valere quatenus Charitate perficitur*] Nec aliquod argumentum producit iste Author, quo probet hæc dictata.

Quod

Quod verò ad distinctionem *fidei informis & formatæ* attinet non temerè exagitatur, sed justâ causâ: non quia à Pontificiis usurpata est, sed quia malè usurpata est. Nec enim sano sensu Charitas dicitur forma fidei justificantis. Non enim fides est compositum physicum ex materiâ & formâ, ut homo ex corpore & animâ; nec, cum fides definitur, Charitas aut fidem efficit aut distinguit ab aliis virtutibus ut differentia. Est enim distincta virtus Theologica à fide & spe ad mentem Apostoli 1. *Cor.* 13. 13. etiamsi non divulsa sit à fide justificante *Gal.* 5. 6 Nec est forma denominans fidem ut subjectum, nec alio quem novi usu istius nomins dici potest forma fidei. Nec distinctio ita à Pontificiis usurpatur ad bonum finem. Nam illi urgent istam distinctionem, ut fidem quam dicunt informem veram esse Christianam & Catholicam fidem asserant, & formatam esse à Charitate, ut justificationem à peccatis tam Charitati quàm fidei tribuant, & ad huuc finem tendere videtur dissertatio hujus Authoris. Sed non in hunc usum ex Apostoli similitudine stabilitur, qui non dixit

dixit Charitatem aut opera esse animam aut formam fidei, aut veram esse fidem quæ Charitate destituitur, aut justificationem à condemnatione peccatis debitâ coram deo formam habere à Charitate. Et in eo quod observandum esse vult Author iste in his verbis [*cum Apostolus opera fidei formam statuit, considerari ab ipso opera in suâ radice h. e. non tam in externo effectu, quàm interno affectu, seu bona voluntate, & Charitate, quæ est forma fidei (quatenùs sic justificat) sicut anima corporis. Sentit enim Jacobus fidem operandi voluntate destitutam mortuam esse, sicut corpus animâ privatum mortuum est*] aberrat ab Apostoli mente. Nam Apostolus per opera intelligit externos effectus, ut patet ex instantiis *Abrahami* offerentis filium & *Rachabæ* tutò nuncios emittentis, & largitionis necessariorum *v.* 16. nec ista opera tribuit Charitati sed fidei, nec justificationem aut fidem dicuntur informare, aut vitam dare sicut anima corpori. Justificatio enim cum sit actus Dei ut judicis non habet formam aut vitam aliunde quàm à seipso, nec ex fide aut operibus aliter quàm ut causâ sine

ne quâ non, aut condicione ex Authoris hujus ſententiâ, quæ nunquam forma dicitur. Nec opera aut Charitas priora ſunt fide ut forma eſt vitâ corporis, ſed ſequuntur ordine ſaltem naturæ ſi non temporis. Nec bona voluntas aut internus affectus juſtificat ſine actu fidei, nec eſt *Jacobi* concluſio fidem operandi voluntate deſtitutam mortuam eſſe, ſed abſque operibus mortuam eſſe. Utcunque igitur Pontificiis in hac deſtinctione aſſerendâ quemadmodum & in totâ diſſertatione gratificatus eſt hic Author nihil tamen momenti ad ipſorum cauſam ſtatuminandam attuliſſe videtur; Nec in iis quæ examinavimus, nec in ſequentibus. Imò aſyſtata videntur quæ differit *c.* 18. *v.* 8. ubi *ad juſtificationem primam vult opera tantùm interna condicionem*, de quâ juſtificatione exponit Paulum, quem tamen juxta *Jacobum* interpretatur, qui de actibus externis dicit iis juſtificari ut *Abrahæ* & *Rachabæ*, quæ tamen opera dicit *Bullus* juſtificatione poſteriora, nec logicè dicitur anima forma corporis in homines.

Ani-

Animadverſiones in Caput tertium.

C 3 [*rejicit Bullus diſtinctionem primæ & ſecundæ juſtificationis & diverſæ condicionis ad utramque requiſitæ ſive à Pontificiis ſive à Reformatis*] Et quidem, ſi de juſtificatione à peccatis intelligatur diſtinctio ſive à Pontificiis ſive Reformatis adhibita, opera non ſunt condicio, cui aut prima aut ſecunda juſtificatio tribuenda, nec ex *Jacobo* aut ex aliâ S. Scripturæ periochâ probavit. *Auguſtini* verba *tom.* 4. *lib de fide ex operibus c.* 14. non rectè aut *Grotius*, aut Author iſte *ad opera egregia ac verè hæreica* reſtringit. Sic enim ſe habent. *Cum ergò dicit Apoſtolus, arbitrari ſe juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: non hoc agit, ut perceptâ ac profeſſâ fide opera juſtitiæ contemnantur, ſed ut ſciat ſe quiſque per fidem poſſe juſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim juſtificatum non præcedunt juſtificandum.*

Quod verò attinet ad quartam & ultimam ſententiam ad conciliandum cum

Paulo

Paulo *Jacobum*, quam *Josuæ Placæo thes. salmur. vol. 1. de d. justif. thesi 41* tribuit [*ab accusatione quâ objicitur nos esse peccatores*, h. e. *reos violatæ condicionis quæ fœdere legali lata est sola fide justificamur quâ Christi gratiam ac justitiam amplectimur, hocque Paulum contendisse. Ab accusatione, quâ objicitur nos esse infideles h. e. non præstitisse Condicionem fœderis gratiæ videlicet fidem, justificamur etiam operibus, quatenus in is fides ostenditur, hocque Jacobum respexisse*] proximè ad mentem utriusque Apostoli accedere adhuc existimo, & plenè explicatum esse à *Carolo Gataker in libro Anglicano sermoni* edito *Londini* anno 1670 cui titulus, *Harmonia* veritatis, una cum *Antidoto contra errorem de Justificatione* à reverendo ipsius patre *Thomâ Gataker* viro doctissimo inchoato, quam & *Hieronymo Zanchio* tribuit his verbis, *Fides justificat hominem, opera justificant fidem* Et ex monito *Richardi Baxteri* in responso adhibito animadversionibus meis in Aphorismos ejus prædictis intelligens *Josephum medum* & *Joannem Deodatum* in notis ad *Jac. 2. 21.* idem sensisse, *quos ipse*

se sequi ait, huic sententiæ acquiesco nullam vim in *Bulli* cornibus ad eam evertendam adhuc inveniens, quanquam responsum *Baxteri* non adaptatum meæ animadversioni adhuc judico. Consimilis est concordia inter Apostolos quam *Franciscus Turretinus Genevensis* professor in exercitatione super hâc re elucidavit.

Animadversiones in Caput quartum.

C. 4. præmittit *Bullus* [*rationi longè convenientius esse ut Paulum ex Jacobo quàm ut Jacobum ex Paulo interpretemur: quia Jacobus clarior, & ipsius Epistola scripta sit adversus eos qui Paulinas Epistolas pravè inter pretarentur sicut veteres scripserunt*] veruntamen, quandoquidem nihil è *Jacobi* Epistolâ elicitur, quod *Paulum* se interpretatum esse ostendat, sed refutâsse eos patet qui detorquebant ejus doctrinam in pravum sensum, conciliari fas non est unum ex altero intepretando, sed utrumque ex scopo, serieque verborum aliisque indiciis, quæ pleniora & clariora apud *Paulum* inque plurimis Epistolis.

Nec verba 2 *Pet.* 3. 16. claritati *Paulinarum* Epistolarum detrahunt nisi in iis de quibus *Petrus* ibi disseruit, quandoquidem (ut monet *Daniel Heinsius* in *Exercit* in 2. *Pet.* 3. 16) ἐν οἷς non refertur ad ταῖς ἐπιστολαῖς sed ad περὶ τούτων. Ipse *Bullus* in vocabulo justificationis explicando interpretationem è *Paulo* adhibet, unde clavis, quâ mens utriusque Apostoli reseratur. De hujus vocabuli sensu dictum est in prioribus.

In eo verò quod ait [*fidem cui justificatio à Paulo tribuitur pro unicâ ac simplici virtute nequaquam sumendum esse, sed integram fœderis Evangelici conditionem denotare h. e. suo ambitu omnia Christianæ pietatis opera complecti*] errorem esse gravissimum statuo, ut qui justificationem facit impossibilem esse in hâc vitâ etiam Sanctissimis, qui omnia Christianæ pietatis opera nec possunt scire aut actu præstare, & proinde non habere fidem in actu, quæ conditio est justificationis. Nec si opera intelligat in radice voluntatis licit. & affectu interno præstandi ut conditionem justificandi (quod absonum ab usu verbi) certitudo ulla

justificationis

justificationis, aut pax inde promanans optimis discipulis Christi constituetur, qui voluptatis & affectuum imperfectionem, mutabilitatem, & inconstantiam præsertim in gravibus tentationibus nôrunt, adeoque *Paulinæ* disputationis scopus (quem è *Rom.* 5. 1, 2, 3, 4, 5. patet esse, ut tranquillitatem animi ex justificatione per fidem firmet) evertetur. Quòd vero fides in isto sensu non sumatur decem argumentis in animadversionibus prædictis evincere conatus sum, à quibus *Baxteri* responso non dimoveor.

Nec quod citat hic Author è *Gal.* 5. 6. & 6. 16. & 1. *Cor.* 7. 19. probat *Paulum* non sumere fidem, cui tribuit justificationem, pro unicâ & simplici virtute, sed integram fœderis Evangelici condicionem denotare h. e. suo ambitu (sc. nominis fidei significatione de quâ est quæstio) omnia Christianæ pietatis opera complecti, aut ea esse condicionem à *Paulo* ad justificationem prærequisitam: sed solum Charitatem; novam creaturam, observationem præceptorum Dei annexas esse *Paulinæ* fidei & justificationem

cationem consequi, quod non negatur, si debitæ cautiones & limitationes adhibeantur. Eadem responsio est adaptanda eis quæ allegat è *Rom.* 10. 16. ubi *parere Evangelio* non est observare omnia præcepta Dei, aut omnia Christianæ pietatis opera facere: sed quod dicitur *v.* 9. 10. *Credere & confiteri Jesum à mortuis suscitatum*; quod accomodari potest *obedientiæ oris & operis Rom.* 15. 8. *obedientiæ Christi, veritatis* 1. *Pet.* 1: 2. 21. 22. quibus locis apertè destinguuntur *fides spes & φιλαδελφία ἀνυπόκριτος. Rom.* 16. 19 2. *Cor.* 7. 15. & 10. 5. 6. vel ὑπακοὴ vel ὑπακοὴ χριστοῦ mentio est, sed vox πίστεως non adhibetur. ὑπακοὴ πίστεως *Rom.* 1. 5 & 16. 26. rectiùs dicitur obedientia in credendo quam obedientia illa quæ ex fide proficiscitur. Quod evincitur ex eo quòd obedientia fidei *Rom.* 16. 26. est *credendò Evangelium & præconium Jesu Christi ex revelatione mysterii quod à temporibus sæcularibus tacitum fuit, tunc verò manifestum erat & per scripturas prophéticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus Gentibus notificatum*, Quod de præceptis exercendæ Charitatis

&

& pietatis non dicendum. In iis enim non est mysterium absconditum, aut per Scripturas propheticas notificatum: sed in nuncio de Christo, cui obediebant credendo, quo sensu dicitur *Act. 6. 7. multitudo sacerdotum ὑπήκουον τῇ πίστει* id est verbo tunc de Christo prædicato. Quin si per *obedientiam fidei Paulus* obedientiam illam, quæ ex fide proficiscitur, intellexerat, non sumsisset fidem pro integrâ fœderis Evangelici condicione, aut omnibus Christianæ pietatis operibus, sed pro causâ eorum, ideoque Authoris istius instituto contrariatur quod dicit.

Quod verò proximè affert è 1. *Cor.* 13. 2. itidem ejus instituto contrariatur, quandoquidem tam longè abest à probando *Paulum* non sumere fidem pro simplici virtute, ut probet contrarium, fidem distingui à Charitate imò divelli posse, & si de fide justificante intelligat, quod videtur asserere (quanquam falsò) exponens *de omnigenâ fide, & de verâ fide, quâ Christo confiditur, & assensus & fiducia ad summum gradum perveniunt* quæ omnia de istâ fide dicit) cruribus suis asciam illidit. Nam sequetur à verâ fide

Charitatem posse separari eamque justificare, nec vim aut virtutem justificandi, quam habet, Charitati debere, vel ineptè eum allegâsse hunc locum *pro fide justificante quæ integram fœderis Evangelici condicionem h. e. omnia Christianæ pietatis opera complectitur.*

Quæ deinde profert è *Rom.* 2. 13 unà cum 6, 7, 8, 9, 10, 11 16. & 13. 10 *Gal.* 5. 14. *Jac.* 1. 22. *Jac* 2. 8. *Math.* 7 21. 24 *Jo.* 14. 21. & 13. 17. *Rom* 6. 16. prorsus ἀπροσδιόνυσα esse necesse est fateatur, quum in nullo ex istis locis vox fidei adhibeatur. Nihilominùs quoniam ad justificationem, quæ est à peccati reatu absolutio, & à pœnâ liberatio ad mentem *Pauli* (uti in priori dissertatione *c.* 1. probat legem præstare necessarium esse contendit, idque jugum intolerabile cervici fidelium imponit, prætereunda non sunt sine examine, quæ ex istis locis extundere conatur.

Urget Author iste [*Rom.* 2. 13: *ut probet legis moralis observationem esse omnino necessariam ad justificationem*] Quod concedi potest de justificatione secundùm fœdus legis, de quâ idem Apostolus ait

c. 10.

c. 10 5. *Moſes deſcribit juſtitiam quæ eſt ex lege quòd qui præſtiterit ea vivet per ea* ſed & expreſſe probat & ſtatuit Rom. 3. 20 *Propterea ex operibus legis nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus: per legem enim eſt cognitio peccati, omnes verò peccaverunt v.* 23. *adeò ut ex lege omne os obſtruatur, & obnoxius ſiat totus mundus condemnationi Dei. v.* 19 rationem reddit Gal. 3. 10. 11. 12. *Nam quotquot ſunt ex operibus legis ſunt ſub exſecratione. Scriptum eſt enim. Exſecrabilis eſt quiſquis non manſerit in omnibus quæ Scripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. Nullam autem per legem juſtificari apud Deum manifeſtum eſt. Quoniam juſtus ex fide vivet. Lex autem non eſt ex fide, ſed quiſquis ea fecerit vivet per ea c.* 5. 4. 5 *Inanes facti eſtis ſeparati à Chriſto quicunque per legem juſtificamini: & à gratiâ excidiſtis. Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus.* Ideoque *juſtificationem ex operibus legis* opponit *juſtitiæ Dei per fidem Jeſu Chriſti* Rom. 3. 21. 22. *Gratis ejus gratiâ juſtificati per redemptionem factam in Jeſu Chriſto, qui finis eſt legis ad juſtitiam cuivis credenti* Rom. 10. 4. *in quo*

habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum ex divite ipsius gratiâ Ephes. 1. 7. *si per legem est justitia igitur Christus sine causâ mortuus est Gal.* 2. 21. *Nam quæ legis erat impotentia, quum viribus destituta esset in carne Dei suo ipsius Filio misso in formâ consimili carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato (sacrificium pro peccato Heb.* 10 6. 8.) *Condemnavit peccatum in carne, ut jus illud compleatur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum Rom.* 8. 3. 4. Quibus positis non dicam *puerorum cachinnis dignum*, sed fletibus cordatorum Protestantium, quòd *Anglicanæ* Ecclesiæ presbyter, qui articulo undecimo subscripserit, *legis moralis observationem ad justificationem à peccatis Evangelicam h. e. remissionem peccatorum per Christum partam obtinendam omninò necessariam affirmaret*, & *contra justificationem istam ex solâ fide in Christum contenderet, & allegaret Rom.* 2. 13. *ut probaret legis præstationem ad justificationem jam necessariam esse*, quæ ex connexione cum *v.* 12. & totâ Apostolicæ dissertationis serie adduci patet, ut probet

lege

lege damnari qui peccaverunt, quod de omnibus etiam Judæis probat, ideòque nec justificationem, prout res se jam habent, haberi, nec posse haberi præstando legem, quippe omnes peccatores, nec quisquam legem potest complere, ideoque solâ fide in Christum apud Deum justificationem esse à peccatis. Rectè ergo *Calvinus dixit verba illa intelligenda esse ad hominem, hoc est adversus Judæum ex lege justitiam expectantem.* Quam concedit futuram si lex præstaretur prout lex postulat, manendo in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea. At supponit hoc neminem ne Judæum legis observantissimum præstare aut posse præstare, sed omnes peccare, adeoque juxta hanc Sanctionem legis omnes à justificatione coram Deo excludi.

Respondeo ergò, Rom. 2. 13. probare legis moralem observationem esse omninò necessariam ad justificationem ex lege sed non esse necessariam ad justificationem Evangelicam. Nec verba v. 6, 7, 8, 9, 10, 11. ponuntur ut assereret justificationem futuram præstando legem, sed ut probaret hominis inexcusabilitatem,

justum

justum judicium in condemnando & puniendo homines juxta id quod scripserat *Rom.* 1. 18. Particula vero *δὲ Rom.* 2. 13. reddit rationem ejus quod dictum *v.* 12. non *v.* 6. nec debet *v.* 16. adjungi *v.* 13. sed *v.* 12. cæteris παρενθετικῶς interpositis. Quin si concederetur adjungi *v.* 16. *v.* 13. non probaretur justificationem in hac vitâ à peccatis præstando legem obtineri, sed justificationem in die ultimi judicii per *Jesum Christum*, *quo die judicabit Dominus de rebus occultis hominum per Jesum Christum.* Sed de hac justificatione non est quæstio an sit solâ fide. Conceditur enim esse per opera: sed non præstando legem juxta tenorem ejus, sed obediendo legi juxta Evangelicam εὐαγγελίαν, hoc est sincere & ex animo ei corde & opere sese conformando. Nec abuno *Rom.* 13. 10. *Gal.* 5. 14. *Jac.* 1. 22. *Matth.* 7 21. 24. *Joan.* 14. 21 & 13. 17. opera requiri ad salutem aut hanc mandatorum Dei observationem necessariam statui *Rom.* 6. 16 ad justitiam operum juxta illud quod dicitur *1 Joh.* 2. 28. 29. & 3. 10. & proinde ad vitam æternam & justificationem in die Christi. Sed audax nimiùm

nimiùm est Author iste, qui. [Rom. 6. 16. *obedientiæ vocem sumit metonymicè pro lege Evangelicâ cui obeditur, vocabulum verò δικαιοσύνη sensu satis usitàto pro δικαίωσις accipi asserit.*] Nec enim metonymiâ opus est, nec rectè potest poni. Oppositio enim [*obedientiæ peccato*] intelligi probat de actu obedientis, non de normâ obedientiæ, nec unquam δικαιοσύνη ponitur pro δικαίωσις, quæ actus judicantis, sed pro actu, qualitate, aut statu judicati.

Falsum est vero quod Author iste dicit [*Ex antedictis patere fidem à Paulo accipi pro universa mandatorum Christi obedientiâ*] idque refutatur ex concessis §. 10. [*fidem alicubi ab Apostolo à Charitate ejusque operibus apertè distingui, & Paulum fidei soli justificationem ac salutem tribuere, eamque solam nominare, fidem à Charitate distinguere in istis locis*] & tamen absurdissimè suam sententiam ponit de singnificatione vocis fidei apud *Paulum* [*cætera omnia intelligere, quæ fidem sequi solent.*] Quod verò addit [*liquere ex iis locis ubi fidem à Charitate destinguit: cum enim fidem à Charitate disjunctam apud*

Deum

Deum nihil quicquam valere affirmet Apostolus, hinc solidè Colligimus ipsum cum aliàs fidei ferè omnia tribuit fidem intelligere verâ Charitate informatam. Alioquin enim sibi ipsi contradiceret] hoc solùm probat eam fidem quæ justificat habere veram Charitatem in eodem subjecto conjunctam, quod nos asserimus; non verò per fidem significari Charitatem & ea quæ sequuntur, aut iis tribui justificationem à *Paulo* ὅπερ ἔδει δεῖξαι: sed quod de *Sisypho* Poeta *volvendo saxum sudat, nec proficit hilum.*

Animadversiones in caput quintum.

Quæ verò addit *c.* 5. etsi non omnia sint recta, tamen tam longè abest ut probent quod probandum susceperat, ut contra ipsius sententiam militent. Cum enim dicit §. 1. [*fidem & initium & radicem totius Evangelicæ justitiæ*] sequitur non [*poni pro omni obedientiâ Evangelicâ*] & cum dicit [*fidem cultum & invocationem Domini aptam natam parere*] sequitur non poni pro ipso cultu, &

quod

quod dicit p. 2. de cognitione refutat quæ differt; 1ª c. 4º §. 2ª dixerat contra *cameronem*, & confirmat ea, quæ in animadversionibus meis sint in istum locum.

Rectè ait §. 5. [*ex lege non esse hæreditatem vitæ æternæ, sed Abrahamo per promissionem gratificatus est Deus hæreditatem*] & dein addit hæc verba [*Imò inquit Paulus stare hæc duo simul non possunt, nempe ut hæreditas ex lege simul & promissione detur; cum justitia legis (loquitur κατ' ἄνθρωπον Gal. 3. v. 15.) meritum inducat & gratiam excludat, adeoque gratuitæ promissioni repugnet, nempe si lex justificandi causâ data fuisset. Notanda est ἔμπαλιν in voce κεχαριτωμένη, quæ à χάρις deducitur adeòque à Beza rectè vertitur gratificatus est. Confer Rom. 4. v. 13, 14, 15. Quia verò promissio vitæ æternæ in Evangelio facta in meritoriâ Jesu Christi satisfactione fundata sit, ac sanguine ipsius pretiosissimo sancita ideò fidei obedientia perpetuò respicit ad Christum tanquam ad unicum propitiatorem, cujus tam in vitâ quàm in morte perfectissima obedientia Deo ad salutem placeat, vitæque æternæ præmium reportet. Rectè igitur*

Melanchthon

Melanchthon in locis præcipuè Theologicis de voce fidei: cum dicimus, Fide justificamur, monstramus Filium Dei sedentem ad dextram Patris, interpellantem pro nobis; propter hunc dicimus nobis donari reconciliationem, detrahimus meritum reconciliationis nostris virtutibus quæcunque adsunt.] Ex quibus infero, cum in justificatione obtinendâ fides respicit ad Christum tanquam ad unicum propitiatorem per sanguinem ipsius, non præcepta legis aut moralia mandata respicit, ideòque non justificat fides, ut pro omni obedientiâ Evangelicâ sumitur, sed ut Christum intercedentem respicit, omnesque rationes in isto capite sunt rationes pro justificatione ex fide solâ: sed nec ulla ratio ponendi fidem pro obedientiâ integrâ adhibitâ præceptis aut operibus Universis Christianæ pietatis. Et malè ait *c.* 18. §. 6 *p* 341. *Cùm veteres Protestantes docuerunt solâ nos fide justificari, illud non ita intellexerunt, quasi per eam fidem excludendæ essent cæteræ virtutes, cæteraque bona opera tanquam ad justificationem obtinendam nullo modo necessaria aut quasi fides plus aliquid ageret in ipso*

justificationis.

justificationis negotio quàm cætera virtutes.

Animadversiones in caput sextum.

C. 6. Scopum Apostoli proponit rectè Author iste sed non planè: omnia enim opera à justificatione, etiam optima, sive Gentium sive Judæorum, sive juxta legem *Mosaicam* cæremonialem & moralem, traditiones Patrum, glossas scribarum & Pharisæorum, sive Philosopharum dictamina, aut legislatorum prudentium consulta, aut Pontificum aut Divorum oracula, in quibus gloriabantur quæque summo studio sequebantur, à justificatione coram Deo excludit, idque quia omnes peccavissent, justusque non viveret nisi fide in Jesum Christum, quam in *Paulinis* epistolis Universa Christianæ pietatis opera complecti frustrà tentavit probare. Nunquam enim fidei tribuitur justificatio, ut Christi præcepta, eumque doctorem vel legislatorem respicit, sed ut sanguinem fusum, resurrectionem, intercessionem in cælis intuetur.

Et

Et falsum est quod scribit §. 9. [*Erat ergò justitia quam ex lege quærebant Judæi, non jam legis quàm sua: non ea quam Deus ab ipsis postulavit, sed quam sibi ipsis stultè imaginati sunt, suoque ipsorum cerebello producerunt. Eoque etiam nomine incertò vocatur ἰδία δικαιοσύνη oppositè ad δικαιοσύνην Dei Rom.* 10. 3.] Nam expressè dicit, *Moses describit justitiam quæ est ex lege* (quæ eadem cum propriâ *v.* 3. *Quod qui præstiterit vivet per ea*, & *Gal.* 4. 24. *pactum quod est Agar ex monte Sinai generare ad servitutem*, & *Gal.* 5. 3. 4. *tota lex erat cujus* observatione justificationem non haberi statuit, in quâ dilectionem proximi ponit *v.* 14 & *Paulus Philip.* 3. 6. 9. *renunciat justitiæ suæ ex lege, quamvis quod ad justitiam quæ est ex lege fuerit irreprehensus.* Quam intellexisse de verâ legis justitia, & non de *justitiâ illa humanâ, negativâ, externâ, hypocriticâ, dimidiatâ, frivolâ loqui, quam ex institutione Pharisaicâ didicerat, uti Bullus* depingit *c.* 17. §. 9. suadent quæ de seipso dixit *Actor.* 23. 1. *viri fratres, ego omni conscientiâ bonâ servivi Deo ad hunc usque diem*, & *Actor.* 24. 16.

Ipse

Ipse me exerceo ad conscientiam habendam sine offensâ apud Deum, & apud homines semper. Actor. 26. 4. 5. *vitam meam actam a juventute, quæque a principio fuit in gente meâ Hierosolymis sciunt omnes Judæi, ut qui anteà noverint me jam inde à majoribus (si velint testari) secundùm exquisitissimam illam hæresim nostri religionis cultus vixisse Pharisæum*, Quæ innuunt fuisse ejus justitiam in Pharisaismo qualis erat *Nicodemi* & aliorum, non qualis eorum, quos *Matth.* 23. 25. & alibi ut hypocritas Christus accusat, adecque nec *hypocriticam, humanam, negativam, externam, frivolam*, ut *Bullus* vult, sed ejusmodi qualem in juvene quodam è primoribus Christus audiens *dilexisse eum* dicitur *Marci.* 10. 21. & qualem *Israeli* tribuit, quum dixit *conflictatum legem justitiæ Rom.* 9. 31. de quibus ait *Rom.* 10. 2 *testor de ipsis æmulationem Dei habere, sed non ex notitiâ.* Quam non dicit *stercora* aut *detrimentum* simpliciter ac si in se ac absolutè *mala esset ac res vilis, sordida aut fœtida*, sed comparatè ad cognitionem Christi ac justitiam ex fide *detrimentum ac stercora duxisse.* Et quidem si

justificatio sit fide in *Bulli* sensu, prout complectitur omnia Christianæ pietatis opera, ea justitia reducetur, quam *Paulus* ut *suam abjecit, hoc est, non confidens in eâ, ut in Christo comperiretur justitiam habens ex fide Christi.* Imò mortis Christi evacuabitur meritum, & venenum Antichristianismi, quo fit ut vita æterna ex debito, non ex gratiâ expectatur, propinabitur. Cui operi adeoque Pharisaismum Pelagianismum, Papismum reducendo quantum conferat hic Auctor hujus scripti examen accuratum indicabit.

Animadversiones in caput septimum.

C. 7. Rectè agnoscit *opera legis moralis excludi à justificatione.* Sed malè [1. *partem justificationis facit donationem æternæ vitæ* ut *præmii.* 2. *argumenta Apostoli quibus probat opera moralia excludi à justificatione exponit. Nam rationes Apostoli vult has, opera legis non justificare, quia non habuit fœdus Mosaicum promissionem æternæ vitæ, nec auxilii Spiritus Sancti, aut*

aut remissionis peccatorum. Hæcque ut suo instituto accommodet, legem imperfectam vult, nec obligationem ad eam perfectè præstandam sub pœnâ æternæ mortis agnoscit.]

Atqui Apostolus ait, *Rom.* 10. 5. *Moses describit justitiam quæ est ex lege, quòd qui præstiterit ea vivit per illa.* Quod de vitâ solâ temporali prosperâ in terrâ intelligere dilutum est, cum Apostolus intelligat de eâdem vitâ quæ per Christum obtinetur, *non per opera legis*; sed hoc non propter defectum legis aut quia fœdus *Mosaicum* promissiones habuit tantùm temporales, sed *quia lex infirma in carne nostrâ Rom.* 8. 3. *quia cognitio est peccati per eam Rom.* 3. 20. *omnes peccaverunt ac destituuntur gloriâ Dei v.* 23. *omne os obstruitur & totus mundus fit obnoxius condemnationi Dei v.* 9. Et in Epistolâ ad *Galatas c.* 3. 10, 11, 12. *Quotquot ex operibus legis sunt sub execratione sunt. Scriptum est enim. Execrabilis est quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea nullum autem per legem justificari apud Deum manifestum est; quoniam ju-*

ſtus ex fide vivet. Lex autem non eſt ex fide: ſed quiſquis ea fecerit vivet per ea. Quibus verbis innuitur eandem vitam futuram per legem ſi lex præſtaretur, quæ eſt ex fide, & gloriâ Dei non deſtituendos fore, niſi peccaſſent, ideoque non juſtificari, ſed obnoxium eſſe condemnationi totum mundum, non ex defectu præceptorum legis aut promiſſionum in ſædere *Moſaico*, ſed quia non permanſerint in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut facerent ea ideò ſub execratione fuiſſe quotquot ex operibus legis fuerunt. Atque hæc execratio neceſſe eſt intelligatur de pænâ pluſquam temporali, *irâ* ſcilicet *Dei quæ de cælo revelatur ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injuſtitiâ detinent.* Rom. 1. 18. quam plenè explicat ut & vitam oppoſitam *Rom.* 2. 5, 6, 7, 8, 9, 10 Alioqui cum dicitur, *Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum aut execratio*, redimeret nos ſolùm ab execratione temporali aut morte corporis, & factus eſſet execratio ſolùm quoad mortem temporalem ſubeundam *Gal.* 3. 13. & cum dicitur

tur 2. *Cor.* 5. 21. *Deus eum pro nobis peccatum fecit, hoc intelligendum esset de expiatione pœnæ temporalis*, & cum dicitur 1 *Pet.* 2. 24. *peccata nostra ipsum pertulisse in corpore suo super lignum*, hanc passionem non ultra temporales hujus vitæ pœnas sese extendisse, quod penitùs gratiam Christi evacuaret. Non enim expiavit peccata contra Evangelium, sed contra legem, &, ut utar verbis epist. ad *Hebr. c. 9. v. 15. Et ideò novi testamenti mediator est: ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis*: Nec à perpessionibus præsentis temporis aliter fideles & bona operantes liberavit quàm infideles quàm Ecclesiam malignantium.

Sed, ut strictiùs dictata istius Authoris examinentur, dico falsissimum esse quod scripsit [*certum est ex operibus legis moralis, etiamsi rectè fiant, imò ad amussim exacta sint, ad veram justificationem neminem posse pervenire per fœdus Mosaicum.*] Nam ille qui à condemnatione absolvitur justificatur: Atqui qui reus

non est peccati absolvitur à condemnatione, ille verò, qui rectè facit opera ad amussim legis exacta est à peccato immunis, nam ubi non est ἀνομία non est ἁμαρτία, ideòque non justificare talem crimen est justitiam justi abjudicandi ab illo, cui væ denunciat Deus *Isai*: 5. 23. itidemque *Salomon Prov.* 17. 15. *Qui justificat impium & qui condemnat justum abominabilis est uterque apud Deum.* Quod verò addit [*Quippe quod veram justificationem h. e. cum æternæ vitæ donatione conjunctam nullam præstet*] frivolum est. Nam vera justificatio potest esse sine donatione æternæ vitæ h. e. cœlestis beatitudinis ut præmii operum rectè factorum. Sufficit ad veram justificationem, ut à reatu & pœnâ absolvatur quis ut innocens persona: sicut accusat, qui in juridico examine à crimine absolvitur verè justificatur, etsi ad dignitatem aut opulentiam à principe non evehatur.

Quod verò addit [*legem Mosis omnes eos ad quos pertinebat non obligâsse, idque sub periculo æternæ mortis ad absolutissimam obedientiam, hoc est talem, quæ*

omnem & omnimodum in ſupremo gradu ἀμαρτίαν *complectitur, etiam eam quæ perpetua eſt, & omnem imperfectionem, infirmitatem excludit per omnem vitam*] eſt falſum, & contra Apoſtolicam doctrinam *Rom.* 10. 5. *Gal.* 3. 10. Nec ratio ejus dictum confirmat ubi ſic dictat [*ut quis æternæ Mortis ſupplicio dignus à Deo judicetur requiritur omnino ut eam obedientiam non præſtiterit quam præſtare potuit. Unde ſequitur, neminem ob defectum abſolutiſſimæ juſtitiæ reum æternæ mortis, hoc eſt cruciatuum ac pœnarum, quæ poſt hanc vitam manent, jure merito agi poſſe ; cum talis juſtitia homini ſimpliciter in hac vitâ impoſſibilis ſit manifeſtum autem, Apoſtolum in diſputatione, de quâ agitur, probare voluiſſe tam Judæos quàm Gentes indiſcriminatim ob non præſtitam legis juſtitiam, non modo æternæ vitæ præmio indignos, ſed & ὑποδίκους τῷ Θεῷ iræ Divinæ ac morti æternæ obnoxios fuiſſe, idque ita* πᾶν τὸ στόμα φραγῇ, *ut omnibus os obſtrueretur* Rom. 3. v. 19. *hoc eſt ut tam Gentes quàm Judæi eſſent* ἀναπολόγητοι *ut ſuprà* 1. 26. & 2. 1.] Nam hoc ipſum probat legem *Moſaicam* minatam fuiſſe

æternam mortam, quod alibi negat, & omnis lex obligat ad ἀναμαρτησίαν perfectam sub pœnâ quam minatur. Quod verò ait [*legem non obligare ad impossibile*] verum est, si impossibilitas sit naturæ, non si ex vitio, qualis impotentia erat in eis de quibus propheta ait *Jerem.* 13 23. *si mutare potest Æthiops pellem suam aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere cum didiceritis malum.* Nec si malus sit non ex consuetudine sed ex nativitatis vitio, eoque impotens fiat ad præstandam legem, arborque mala, quæ non potest terre fructus bonos sed putres, sit, iniquum erit ut reus æternæ mortis sit: sed de tali justum esse possit, quod Christus ait *Matth.* 7 19. *Quæcunque arbor non fert fructum bonum excidituir, & in ignem conjicitur.* Nec à vero aberrant, qui obedientiam ajunt justè Deum poscere, cujus præstandæ impotentes jam sumus, quandoquidem in *Adamo* vires datæ erant, quas jam amisimus: non enim iniquum est existimandum quod Deum facere Apostolus scribit Rom. 5. 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 21. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*

intravit & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt: regnavit mors ab Adamo uſque ad moyſen etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ: unius delicto mors reguavit per unum: per unius delictum in omnes homines in condemnationem: unius delicto multi ſunt mortui: judicium ex uno in condemnationem: per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: regnavit peccatum in mortem. Nihil verò abſurdi eſt aſſerere legem moralem, ſive decalogum prout in monte *Sinai* à *Moſe Iſraelitis* proponebatur fuiſſe legem perfectæ obedientiæ, hoc eſt præcepiſſe obedientiam omnimodam, adeò ut reus eſſet peccati & mortis æternæ qui vel in minimo deliquerit, & vitæ æternæ particeps, qui perfectè ſervarit. Omnis enim lex obedientiam exigit omnibus numeris abſolutam. Et *quanquam venia aliquot delictis detur ut Num.* 15. à *v.* 22. ad *v.* 29. *aut permiſſio peccati qualis Deut.* 24. 1. &c. *Coll: Matth.* 19. 3. &c. *fiat*, lex tamen ipſa obedientiam perfectam exiget, ut lex municipalis Angliæ omnimodam ſubjectionem

jectionem Regi postulat, adeò ut cum hoste nulla, ne minima societas ineatur sub pœnâ læsæ majestatis, & tamen in aliquo casu venia detur, aut permissio familiaritatis lege aliâ, aut ex Regis prærogativâ. Legem verò *Mosaicam* præcepisse omnimodam ἀναιρεσιν sub pœnâ mortis æternæ est Apostoli effatum Gal. 3. 10. Nec contra est quòd *impossibilis ea fuerit*. Nam non simpliciter erat homini ut homini impossibilis, sed homini ut in statu corrupto, ideoque non magis iniquum ut Deus talem obedientiam posceret ab homine, quàm iniquum est ut creditor suum exigat a debitore prodigo. Contra verò mentem Apostoli est distinguere ubi lex non distinguit, & cum verba sint de omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea [*restringere ad quædam*] absque aliquo ex textu indicio; & cum exinde maledictionem universalem probat Apostolus [*inferre maledictionem restrictam ad eos, qui rei gravium criminum, eumque censere omnia facere, qui nihil sciens prudens contra legem Dei in se admisit, etiamsi fortasse in aliquibus sive ex ignorantiâ sive inadvertentia deliquerit*] quo delicta

cta quædam non mortalia, sed venialia ex se utpote præter legem non contra finem legis statuuntur: quibus virus Pontificum in Ecclesiam Reformatam introducitur. Nec quicquam juvat quòd locus *Jac.* 2. *v* 10. intelligendus sit de iis peccatis quæ contra finem atque authoritatem legislatoris fiunt. Nam utcunque de istis verbis statuendum sit, verba Apostoli *Gal.* 3 10 non possunt in istum sensum trahi. Scopus enim Apostoli est, ut probet eos qui sunt ἐξ ἔργων νόμε, h. e. qui in lege justitiam quærunt maledictos esse: sed non hoc probatur exponendo permansionem in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciant, hoc modo [*qui mihi sciens prudens contra legem Dei in se admisit etiamsi fortasse in aliquibus sive ex ignorantiâ sive inadvertentiâ deliquerit.*] sic enim qui justitiam in lege quærebant omnia faciebant absque gravibus criminibus: ut v. g. juvenis quem dilexisse dicitur Christus *Marci.* 10. 19. 20. eo quòd mandata omnia ibi recitata observâsset à juventute, aliique qui propriam justitiam studentes constituere justitiæ Dei non fuerunt subjecti *Rom:* 10. 3. Ideòque

deòque juxtà hujus auctoris expositionem benedicti essent potius quàm maledicti : sed Maledictos probat Apostolus juxta legem eo *quod per eam est cognitio peccati Rom.* 3. 19. 20. *omnesque peccaverunt v.* 23. Quod non probatur ex istis verbis *Gal.* 3. 10. nisi exponendo de quibusliber delictis quorum omnes rei sunt, eosque non permanere in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciant ea, qui mandatum ullum unquam transgrediuntur. Quod de seipso fatetur *Paulus* ipse, ut qui tandem se peccati arguebat eo quod cupiditatis prohibitæ lege ultimâ Decalogi [*non concupisces*] conscius esset *Rom.* 7. 7. & per hoc *mortuum fuisse*, etsi nihil sciens prudens contra legem Dei in se admisit.

§. 13. Argumento desumpto è *Deut.* 6. 5. *Diliges Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totis viribus tuis*, ad probandum summam ac perfectissimam Dei dilectionem ab omnibus in lege requiri sic respondet [*qui hoc pugnant argumento suo se gladio jugulant. Cum enim dilectionem hic aliam non postulat Deus, quàm quæ ex toto animo,*

animo, atque ex omnibus viribus fiat, manifestum sit nil à nobis præter aut supra vires nostras (eâ scilicet gratiæ mensurâ, quam Deus unicuique nostrum in hac vitâ communicat, vel certè communicare paratus est, adiutus) postulari. Certum autem est, posse nos omnes ex omnibus viribus nostris obedire Deo: quia manifesta esset ἀνηλεγία, non posse nos aliquid pro viribus præstare]

Cui repono: si de viribus hominis in statu incorrupto intelligat iste Author quod dicit, concedo nihil à nobis præter aut supra vires nostras hoc est facultates naturales postulari *Deut.* 6. 5. aut alibi, sed falsum est de viribus nostris in statu depravato. Non enim cessat obligatio legis eò quòd impotentes fiant homines sive à pravitate nativâ sive acquisitâ. Nec minùs contra legem peccatur, quia ea gratiæ mensura non datur, quæ vires deperditas peccato redintegret. Lex enim obligat etiam eos quos Deus *tradidit in reprobum sensum Rom.* 1. 28 & ex defectu gratiæ non minuitur, sed ingravescit peccatum. Et statuendo Deum non postulare quicquam supra aut præter vires-

quas

quas in hac vitâ communicat unicuique noſtrûm (quæ certè non aliæ ſunt ultrà liberum arbitrium & lumen naturale, quibus olim ludens *Pelagius* gratiæ nomen imprimebat) dogmata inſeruntur *Tremulorum*, uti dicuntur, modernorum, *qui ſtatuunt unicuique in hunc mundum venienti eam dari lucem, quæ ad Deum perducat* (quem errorem in concionibus novem *Anglicano* ſermone ſuper *Joan.* 1. 9. editis anno 1660. refutavi ut *Actor.* 14. 16. aliiſque S. Scripturæ locis quamplurimis adverſantem) eorum item errorem qui *ſalutem pollicentur unicuique ſeriò religionem qualemcunque obſervanti*, & theſin quam olim in concione *Anglicana* Robertus *Sanderſonius* ὁ μακαρίτης dixit *columnam Arminianiſmi putrem, Facienti quod in ſe eſt Deus tenetur dare ulteriorem gratiam ad ſalutem*: Imo implendi legem poteſtatem adeòque juſtificationem ex operibus viribus naturalibus tactis ſtatuat, & redemptionem per Jeſum Chriſtum non neceſſariam tueatur, & craſſum Papiſmum, Pelagianiſmum, *Judaiſmum* teneat neceſſe eſt. Et quanquam [locis *Deut.* 30. 6. 2 *Paral.* 15. 2. 1 *Reg.* 14.

14. 8. & 2 Reg. 23. 35. *id toto corde totis viribus dicitur fieri, in quo quis præcipuum ſtudium & cogitationem ponit, quomodo dicimus aliquem eſſe totum in literis*] nihilominus *Dent.* 6. 5 tam diminuto ſenſu non poſſe intelligi ſuadent quæ ait ſervator *Matth.* 22. 38. *illud eſſe primum & magnum mandatum, & ex iſto ſimilique mandato tota lex & prophetæ pendent*, & quæ Apoſtolus *Rom.* 13. 8, 9. 10 *Qui diligit alterum legem implevit, illud non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces & ſi quod aliud eſt præceptum in hoc ſermone ſummatim comprehenditur, nempe, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, Charitas eſt completio legis*; ſed intelligi omnimodam obedientiam in ſummo gradu actualem.

Quæ verò adjicit [*ſententiam ſuam de poſſibilitate implendi legem (quatenus ea lex impoſita à Deo hominibus unquam fuerit) dogma eſſe non novitium, ſed veterum omnium qui antequam puriorìs ac doctrinæ primitivæ rivulos turbâſſet Controverſia Pelagiva, ſcripſere communi calculo ac ſuffragio comprobatum, & verba allegat*

Auctor

Author : *Quæst est Respons. ad orthodoxos* (*inter opera Justin*) *respons. ad Quæst.* 103. *Basil. Mag. Homil in illud Mosis, Attende tibi ipsi, Chrysost. Hom.* 18. *in Matth. Homil.* 8. *de pœnitentiâ, item in Psal.* 101. *Augustinum ipsum* (*utcunque aliàs in controversiâ satis infelici nimium incaluerit*) *Serm.* 191. *de tempore, & remittit ad Vossii Hist. Pelag. l.* 5. *par.* 1. *Antithes.* 6.] odorem haud bonum habent nam 1 primitiva doctrina non est dicenda quæ non è S. Scripturâ elicitur. 2. Et quod de nimio Augustini calore in controversiâ infelici *Pelagianâ*, aut furiosis & primitivæ doctrinæ rivulis eâ controversiâ turbatis insinuat, *Bullum* ad Pelagianum dogma nimium propendere suspicandi dat occasionem. 3. nullum ex iftis quæ producit testimoniis ad tempora in quibus purior & primitiva doctrina retinebatur sine heterodoxias scoreâ, nec ante controversiam *Pelagianam* excitatam pertingit. Nam quod attinet ad illud quod è libro inter *Justini* opera edito profertur, unanimi ferè consensu ei falsò tribui istud Scriptum à Scriptoribus hujus ævi asseritur, nec ante quartam

centuriam

centuriam sive ab uno Authore, sive è pluribus consutum. 4. sæpius à *Bellarmini* & aliorum Pontificiorum antagonistis responsum est ista dicta de impossibilitate per se simpliciter & quoad naturum rei, vel naturalis impotentiæ humanæ intelligenda, non de impossibilitate per accidens ex demerito aut vitio mentis depravatæ aut Dei judicio pœnali. Qualis impossibilitas non facit Deum injustum aut crudelem, etsi eam exigat obedientiam, quæ ex istis causis modo isto fit impossibilis.

Animadversiones in Caput octavum.

C. 8. §. 3. [*Malè insinuat margine ex Grotio totum mundum ὑπ' ἁμαρτίαν esse Rom* 3. 9. *intelligi de maximâ parte hominum non simpliciter de omnibus*, & §. 4. *ait*, *Dices at erant nonnulli saltem inter Judæos, qui ante fidem Christi vitam egerunt sanctam & inculptam, atque à vitiis istis quæ recenset hic Apostolus, & eorum similibus alienissimam. Quales fuerunt Zacharias, Elizabeth, Anna, Si-*

meon, aliique. Resp. Fateor, imò nullus dubito, quin inter Gentes etiam fuerint nonnulli, qui à vitiis hîc memoratis abhorruerint, atque adeò virtutem, ac justitiam, quâ ipsis cognita erat, sincerè coluerint & ex animo. Atque ut in eâ sim sententiâ, & recta ratio suadet, & autor mihi est Apostolus ipse, qui illud ipsum non obscurè docet hujus Epistolæ c. 2. v. 14. 15. 16. 27.] Quod si verum, istos statuendum erat impleviſſe legem ad *Bulli* mentem, & operibus legis fuiſſe juſtificatos abſque fide Chriſti, nec Chriſti mediationi ſalutem ſuam debent. At *Rom.* 3. 19. dicitur, *ut omne os obſtruatur, & obnoxius ſiat totus mundus condemnationi Dei*, & v. 20. Exinde infertur, *propterea ex operibus legis nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus; per legem enim eſt cognitio peccati*, & v. 23. *omnes peccaverunt ac deſtituuntur gloriâ Dei.* Quod adeo manifeſtum eſt ut §. 6. *Bullus* ipſe dicat [*Qui fuerant ex utráque natione optimi & ſanctiſſimi non ita vitam inſtituerunt juxta Apoſtolum, quin aliquando in peccata aliqua, vel peccatum ſaltem aliquod gravius & morte dignum incide-*

rint

rint: atque adeò omnes tum Judæos tum Gentes indiscriminatim ac sine exceptione ὑπόδικους τῷ θεῷ v. 19. iræ Divinæ ac morti æternæ obnoxios fuisse] quod fluctuationem aut tergiversationem aut ἀνυπαίτιον in *Bulli* conceptibus ostendit.

2. Quod ait [φράσις ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι manifestè significat *Jub peccati esse dominio, seu gravibus peccatis addictum esse, & actionem verbis Rom. 3. 9. ab Apostolo intentam esse de peccatis non quibuscunque etiam Levissimis sed de peccatis magis propriè dictis, & postea propriè dictis h. e. gravioribus atque æternâ morte dignis*] præter illogicam phrasim de *peccatis propriè dictis & magis propriè dictis* cum essentia & definitio sit in indivisibili sine gradibus, & omnis ἀνομία sit ἁμαρτία 1 Jo: 3. 4. & à Theologiâ orthodoxâ alienissimum commentum *leviores culpas non esse propriè dicta peccata, ideoque dici solùm peccata per tropum*, nec (quod inde sequitur) confessione, condonatione, purgatione per Christi sanguinem egere, limitatio ista est merum *Bulli* commentum. Non enim è toto contextu elicitur quod ait [*Nec in toto contextu peccata quæ enumerantur om-*

nia gravioris sunt generis, ut cuivis eum inspicienti facilè patebit.] nam hæc dici non possunt juxta ipsum de omissionibus quæ enumerantur *v.* 10. 11. 12. Nec quod ait [*πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν Rom.* 7. 17. *significare sub peccati esse dominio, seu gravibus peccatis addictum esse*] verum est. Nam *v.* 15. 16. planè probant involuntarium fuisse quòd *venditus fuerit sub peccato*, adeòque eum non fuisse addictum gravibus peccatis. Sed mirè se implicat, ut objectioni respondeat, *plures non fuisse gravibus peccatis addictos, & tamen de omnibus indiscriminatim dicitur obnoxios iræ Divinæ fuisse v.* 19. *fuisse sub peccato v.* 3. *peccâsse v.* 23. *quæ de gravibus peccatis & morte æternâ dignis vult intelligi.* Ut verò contradictionem in dictatis suis solvat.

Ìò ait [*Pii isti inter Judæos fuerunt oppidò pauci, & ad cæteros comparati quasi gutta in Mari, idcòque eorum non magna Apostolo habenda erat ratio. Et nota universalitatis hyperbolen continet Joan.* 3. 32. *Isai:* 66. 23. *Joel* 2. 28. *Act.* 2. 17. *Psal.* 14. 23. & 145. 14. 15. *Phil.* 2. 21. &c.] sed hanc responsionem tollit ipsius

ipsius confessio §. 6. Nec revera convenit verbis Apostolo *Rom.* 3. 19. de *omni oris obstructione, totius mundi condemnatione v.* 20. *nullius carnis justificatione in conspectu Dei.*

20 ait [*Pauci illi, qui sub lege justi fuerunt, non ex lege justitiam suam acceperunt, sed illam acceptam debuerunt gratiæ Evangelicæ; adeoque inter eos qui ex fide sunt non ex operibus legis censeri meruerunt*] sed hoc non potuit dici de piis istis, quos ante fidem Christi dixerat vitam exegisse Sanctam & inculpatam è Judæis, multò minùs de gentibus de quibus dicitur *Ephes.* 2. 21. *fuisse absque Christo, absque Deo in mundo.* Nec hæc responsio tollit objectionem: Quomodocunque enim suam justitiam acceperunt, non fuerunt sub peccato, aut gravibus peccatis addicti juxta hujus Authoris expositionem verborum Apostoli *Rom.* 3. 9. Nec proinde *obnoxii iræ Divinæ aut æternæ morti*: quod tamen *de omnibus indiscriminatim fatetur* §. 6. *Nec si gratiam acceperint Evangelicam & spiritu ducebantur Evangelii*, operibus à fide profectis potuerunt justificari. Nam eum de quo *Psal.* 32. 1. 2. dicitur,

cujus spiritu non inest dolus, *Paulus Rom.* 6. 7. arguit non fuisse beatum nisi remissione peccatorum, & non ex operibus, & pro seipso *David* sic Deum precatur *Psal.* 143. 2. *Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et revera si vel unus fuerit (ut de beatâ virgine nonnulli è Pontificiis voluerunt) qui coluerit justitiam & eâ ratione non erat obnoxius æternæ morti, iste non opus habuit gratiâ Evangelicâ, aut Christi morte ut justificaretur juxta Authoris hujus hypothesim, qui legem implebat juxta id quod legem exegisse vult iste, adeoque sub lege justus fuit.

30 tánquam vertigine correptus, nescius ubi consistat, certus tamen hypothesi serviendi addit [*vero simile est etiam paucos illos non ita se per totum vitæ suæ curriculum gessisse, quin aliquando in peccata aliqua aut peccatum saltem aliquod gravius ac morte dignum prolapsi fuerint. Imo pro certo illud habendum est, siquidem de iis ipsis viris quibus in vet. Test: divinæ legis inculpata & perfecta legis observatio tribuitur,*

diserte

diserte tamen legitur, quod aliquando in peccata quædam enormia & morte dignissima inciderint: uti de Asa 2. Paral. 16. per totum, de Davide 2 Reg. 15. de Josia 2 Paral. 35. 22.] Quæ si vera, probant neminem in vet: Test: post gratiam Evangelicam acceptam, quanquam toto corde totis viribus Deum dilexerit, immunem fuisse à gravibus peccatis, adeòque nec potuisse justificari ex operibus coram Deo, quanqnam ex fide fuerit, uti certum est de *Davide Heb.* 11. 32. sed cur non idem dicit de Sanctis in novo testamento? nonne *Petrus*, qui certè ex fide fuit *Matth.* 16. 16. 17. 18. *Joan* 6 68. 69. in grave crimen abjurandi Dominum prolapsus est? nonne omnes discipuli offensi in Christo relicto eo quum captus esset fugerunt? Pergit verò iste Author [*Atque in hunc modum interpretandum existimem quod apud Apostolum sequitur v. 23. omnes peccârunt & destituuntur gloriâ* Dei *nimirum propositio illa planè universalis videtur ut neminem excipiat qui non peccatorum quorundam, vel peccati alicujus gravioris sive aliquando sive aliquandiu reus fuerit. Atque hoc*

videtur esse illud ipsum quod Scriptura passim asserit, nominatim 1 *Reg.* 8. 46. *non enim est homo qui non peccat, &* 1. Jo: 1. 8. *si dixerimus peccatum non habere nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est, & v.* 10. *si dixerimus nos non peccâsse, mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis. Quam orationem de peccatis propriè dictis non de levioribus culpis duntaxat intelligendam & prorsùs universalem esse res loquitur, & quæ deinde in illâ Epistolâ c.* 2. 1. 2. *adducuntur*]

In hac periochâ Author iste 1. leviores culpas peccatis opponit propriè dictis, eaſque innuit non impedire justificationem ex operibus. Quod planè tendit ad venialium ex se peccatorum assertionem, & proinde justificari posse hominem non obstantibus iis etiam absque gratiâ Christi & propitiatione per ejus sanguinem. 2. interpretatur *Rom.* 3. 23. de gravioribus tantùm peccatis, etsi patet è *v.* 20. de omnibus peccatis intelligi quorum cognitio est per legem, ideoque omnium qualiumcunque peccatorum. 3. exponit 1 *Reg.* 8. 46. de gravibus peccatis, quanquam loci paralleli *Eccles.* 7. 20. *Prov.*

20.

20. 9. intelligi oſtendunt de qualibuſcunque peccatis. 4. ſupponit leviores culpas non eſſe eas quarum imputationem deprecabatur *Salomon*, quanquam ſic *Davides Pſal.* 19. 12. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Jobus itidem *Job.* 9. 3. *Si voluerit contendere cum homine, non poterit reſpondere unum pro mille v.* 20. *Si juſtificare me voluero os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero pravum me comprobabit.* 5. 1 Jo: 1. 8. 10. de gravibus peccatis præcipuè interpretatur, quanquam Apoſtolus indiſcriminatim de omnibus loquitur peccatis, quæ oportet confiteri, *à quibus ſanguis Jeſu Chriſti nos purificat, quæ remittit Deus, & à quibus mundat.* 6. dehortationem *c.* 2. *v.* 1. de gravibus peccatis exponit quanquam Apoſtolus intelligat de *omnibus peccatis, pro quibus Chriſtus eſt propitiatio.*

Adjicit *Bullus* [ubi tamen illud notandum Sanctum Johannem *in tempore loqui* præteritò: *ſi dicamus* ὅτι οὐχ ἡμαρτήκαμεν *nos non peccâſſe ſc. ante Evangelii cognitionem, nimirum voluit Sanctus Apoſtolus, ut Chriſtiani ad quos ſcribit, ab ingrati animi crimine ſedulò ſibi caverent, neque*

quòd

quòd à vitiis purgati essent, vel sibi ipsis vel legi sive Mosis sive naturæ, sed gratiæ tantùm Evangelicæ tribuerent. Alioquin non videtur negare post Evangelii notitiam acceptamque ipsius gratiam potuisse quosdam esse sine peccato, ita ut peccati vox ab ipso sumitur, non ut meras ignorantias aut subitos motus significat, sed ut eos actus malos, qui tractum habent (ut loquitur Grotius) & deliberationem non antevertunt. Imò illud possibile esse non obscurè innuit 1. *Epist. c.* 2. *v.* 1 *ubi Christianos seriò hortatur ne peccent.*

Quibus verbis innuit ea quæ non sunt recta 1. *quod confessio de peccatis* 1. *Joh.* 1. 10 *intelligitur de peccatis ante Evangelii cognitionem, idque ne ingrati animi crimen subirent, non verò de meris ignorantiis aut subitis motibus.* Atqui post Evangelii cognitionem etiam servator noster docuit orare . *panem nostrum quotidianum da nobis hodiè & remitte nobis peccata nostra Luc.* 11. 4. Quæ supponunt suos discipulos, ipsum etiam *Johannem* debuisse confiteri ἁμαρτίας & petere remissionem post Evangelii cognitionem, & gratiam acceptam, & non solùm ut confiterentur gravia

gravia peccata, sed & culpas leviores, meras ignorantias & subitos motus, idque non solùm ut ab ingrati animi crimine sibi sedulò caverent, sed etiam ex sensu infirmitatum, ut se opus habere purgatione per sanguinem Christi lapsuum quotidianorum ostendant. Ideoque *Jacobus* Apostolus de seipso & omnibus Christianis fatetur *Jac.* 3. 2. *In multis impingimus omnes.* Et hoc supponit exhortatio 1. *Joh.* 2. 21. ita posse peccare post fidem ut opus habeant Christiani *advocato Jesu Christo justo, & ejus propitiatione pro peccatis ipsorum.* 2. vocem ἁμαρτίας intelligi vult præcisè de gravibus peccatis, & hortationem 1. *Jo:* 2. 1. id innuere. Sed Nec *Luc.* 11. 4. nec 1. *Jo:* 1. 8, 9. aut 2. 2. 12. aut 3, 4, 5. aut 4. 10. aut 5. 17. ad hujusmodi peccata restringitur.

Addit *Bullus* [*Regeret forte aliquis Apostolum in c. præcitato v.* 8. *uti etiam tempore præsenti si dicamus* ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν *nos peccatum non habere &c. Innuit igitur neminem vel post fidem Evangelii à peccatis istis magis proprie sic dictis purum esse, vel esse posse. Sed facilis est responsio: nam*

ἁμαρτία

ἁμαρτίαν ἔχειν & ἁμαρτάνειν seu ἁμαρτίαν ποιεῖν non idem significant. Quippe ἁμαρτίαν ἔχειν (ut rectè Grotius) non est nunc in peccato esse, sed ob peccata priùs commissa reum vel esse vel posse fieri ut manifestissimè apparet ex Joan. 9. 41. & 15. 22. 24 sensus ergo est, si dicamus nos ante notitiam Evangelii non graviter peccâsse eaque propter mortis æternæ reos fuisse; atque adeò etiamnum reos fore nisi succurreret gratia & misericordia Evangelii planè mendaces, & turpiter ingrati sumus in Evangelium, & veritatem illam quam profitemur. Quid multis? manifestus est sui interpretes Johannes ipse, cum quod priùs dixerat ἁμαρτίαν ἔχομεν postea non per ἁμαρτάνομεν sed ἡμαρτήκαμεν in præterito exponit] Quibus repono. Quanquam forsan ποιεῖν ἁμαρτίαν fit plusquàm ἁμαρτάνειν: ἁμαρτίαν tamen ἔχειν idem esse quod ἁμαρτάνειν ex Bulli ratione patet, qui sic ait [manifestus est sui interpretes Johannes ipse cum quod priùs dixerat ἁμαρτίαν ἔχομεν per ἡμαρτήκαμεν exponit. Nec ἁμαρτίαν ἔχομεν aliter potest intelligi in verbis Apostoli quàm de iis peccatis quæ post notitiam Evangelii confiteri oportebat, ut remitteret Deus & purgaret

garet ipſos ab omni iniquitate. *Nec quia* ἡμαρτήκαμεν *vel* ἡμαρτήσαμεν (uti editiones meæ legunt) *dicitur innuitur eum magis de peccatis loqui ante notitiam Evangelii quàm poſt* commiſſis, nec phraſim ἔχειν ἁμαρτίας probatur è *Jo:* 9. 41. & 15. 22. 24. innuere [*non nunc eſſe in peccato, ſed ob peccata priùs commiſſa reum eſſe vel poſſe fieri*] ſed ſimpliciter nos non peccauus, nec rei ſumus peccati. Phraſis verò *Jo:* 9 41. [*non habuiſſetis peccatum*] ſignificat [*non perſtitiſſetis in peccato*] uti verba [*ergo peccatum veſtrum manet*] oſtendunt. Atqui hic ſenſus longè aberrat ab Apoſtoli verbis 1. *Jo :* 1. 8. nam ſi *dicteremus, non perſtamus in peccatis nos fallimus, & veritas non eſt in nobis*, eſſet planè contra Apoſtoli mentem. Jo : 15. 22. [*peccata non haberent*] ex oppoſitâ parte verſus hunc ſenſum habet, haberent prætextum peccato, ſed nec verbis 1. Jo : 1. 8. convenit hic ſenſus, *non habemus peccatum*, id eſt habemus prætextum peccato, aut occaſionem excuſandi, & *v.* 24. *peccatum non haberent* idem eſt quod non tam enorme eſſet peccatum ut nunc eſt, quandoquidem *viderunt opera*

mea

mea & oderunt tum me tum patrem meum. Quod multò minùs verbis 1 Jo: 1. 8. convenit. Sic enim diceret, si dicamus, quod non habeamus peccatum tam enorme ut odio habeamus Christum & Patrem ejus, nos fallimus.

Sed ut videamus quàm dirè seipsum suis cornibus impetat *Bullus*, perpendatur quàm ὠσύστατα sint ipsius effata [*si dicamus non peccatum habuisse, hoc est ante notitiam Evangelii non graviter peccàsse eaque propter mortis æternæ reos fuisse, & posteà* §. 6. *qui verò fuerunt ex utràque natione optimi & Sanctissimi non ita vitam instituisse juxta Apostoli Pauli hypothesin, quin aliquando in peccata aliqua, vel peccatum saltem aliquod gravius & morte dignum inciderint*] cum iis quæ scripserat §. 4. [*Fateor nonnullos saltem inter Judæos fuisse qui ante fidem Christi vitam egerunt Sanctam & inculpatam, atque à vitiis istis, quæ hîc recenset Apostolus & eorum similibus alienissimam. Quales fuerunt Zacharias, Elizabetha. Simeon, Anna aliique, imò nullus dubito quin inter Gentes fuerint qui à vitiis hîc memoratis* Rom. 3. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15.

16,

16, 17, 18. *abhorruerint atque adeò virtutem ac justitiam quâ ipsis cognita erat, sincerè coluerint & ex animo. Atque ut in tâ sim sententiâ & recta ratio suadet, & autor mihi est Apostolus ipse, qui illud ipsum non obscurè docet* Rom. 2. v. 14, 15, 26. 27.] Sed non Apostolus hoc docet: nam solùm hoc supponit *Gentes in quibusdam ea præstitisse quæ in lege mandantur, quia habuerunt opus legis scriptum in cordibus ipsorum*, hoc est in conscientiis ipsorum lumine naturæ imprimebantur multa legis præcepta, ideòque *sibiipsis erant lex* absque traditione *Mosaicâ*, atque adeò à seipsis erant justificati aut condemnati in iis quæ faciebant; sed quod vel unicus à vitiis memoratis Rom. 3. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18. inter Gentes abhorruerit, atque ad virtutem ac justitiam, quâ ipsi cognita erat, sincerè coluerit & ex animo, non dicit: sed contrarium est expressa determinatio Apostoli Rom. 1. 18. 19. 20 21. &c. & reverâ si hujus Authoris dictata essent vera ex operibus ante fidem Christi nonnulli non solùm è Judæis sed etiam è Gentibus potuerunt justificari coram Deo.

Reliquam

Reliquam partem istius capitis prætereo nisi quod improbem id quod §. 13. dicit [*Apostolus legi Moses justificationem non detrahit, quia perfectissimam obedientiam tanquam condicionem justificationis postulat.*]

Animadversiones in caput nonum.

C. 9. §. 2. Sic exponit Rom. 8. 3. [σαρκίνου *hic antecedens pro consequente dicitur pro interficere, sicut* κατάκριμα *pro morte, quia damnati interfici solent. Interfecit verò i. e. interficiendi nobis vires præstitit*] sed sensus alienus est à mente Apostoli. Nam ἐν τῇ σαρκὶ non est in carne nostrâ: sed in carne Christi, de quâ dicitur, *Deus suum filium misit* ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, & ἐν τῇ σαρκὶ idem est quod Col. 1. 22. ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ διὰ τοῦ θανάτου. *Daniel Heinsius exercit: Sac.* 1. 6. c. 4. Rom. 8. 3. *Basilius seleuciæ Episcopus* ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ *legit: quod & Syrus expressit* & κατάκριμα notat actum judicis aut advocati legalem aut judicialem, non actum speculatoris aut

aut auxiliarii, & *condemnare Deus dicitur peccatum in carne Christi* eò quod Christi morte in carne vim peccati accusatricem & condemnatricem abstulit, ut *Rom.* 8. 33. 34 atque adeò vim peccati ex lege (uti dicitur 1 *Cor.* 15, 56, 57,) sustulit, victoriam nobis dedit, actionem peccati contra nos ut insufficientem & invalidam quasi è foro ejiciendo. Nec quod dicit. *v* 4. ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν habet hunc sensum, quem *Bullus* ei affinxit [*ut Deo veræque justitiæ viveremus*] sed δικαίωμα idem significat quod *Rom.* 5. 16. ubi ei opponitur κατάκριμα, & idem est quod *v.* 18. δικαίωσις ζωῆς, & *impleri* dicitur hoc est complementum habere suum per Christi sacrificium ἐν ἡμῖν, hoc est erga vel propter nos sicut 1 *Jo:* 4. 9. 16. ubi ponitur pro ὑπέρ ut Rom. 5. 15. & sensus est idem qui *v.* 1. & *Rom.* 5. 21. In quem sensum *Chamier. Panstrat: Cath tom.* 3. *l.* 11. *c.* 7. §. 20. citat *Oecumenium* in hæc verba. τοῦτο ἐπέτηδεν ὁ Χριστὸς ἵνα ὁ σκοπὸς τοῦ νόμου (τοῦτο γὰρ τὸ δικαίωμα) πληρωθῇ ἐν ἡμῖν· τίς δὲ ὁ σκοπὸς τοῦ νόμου; τὸ μὴ γενέσθαι ἡμᾶς ὑπευθύνους τῇ ἁμαρτίᾳ.

Quod dicit §. 3. [*Heb.* 7. 18. ἀθέτησις *poni videtur pro totâ congerie præceptorum Mosaicorum seu pro lege Mosis etsi de lege imprimis ceremoniali sermo ibi fiat*] rectiùs diceret, de præcepto Levitici sacerdotii, quod *carnale* dicitur *v.* 16. intelligi. quod dicitur *Heb* 8. 7. non culpam imputat aut defectum priori fœderi ex se, sed ex eo quòd non tolleret querimonias contra istum populum, ut verba *v.* 8. ostendunt, ubi rationem reddens ejus quod dixerat *v.* 7. ait μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς λέγει : ἄμεμπτος ergo non rectè inculpabile redditur, sed rectiùs [*expers querelæ*] quod priori fœderi non tribuendum.

Quod verò dicit §. 4. [*Judæos, qui fidem Christi amplexi essent non amplius obligari vinculo legis per Mosen datæ*] si intelligat uti §. 6. le exprimit *tum vinculum legis Mosaicæ solutum esse, neminemque propter non observatas ejus ceremonias damnatum iri, qui modò viam illam vitæ spiritualis in Evangelio præscriptam incedat Rom.* 7. 1. *tum omnes vere Christianos per Evangelium ab isto peccati dominio esse liberatos, à quo ante*

liberarentur

liberarentur per legem Mosaicam nulla erat vel spes vel possibilitas v. 2. 3. 4.] assentior; sed si de vinculo obedientiæ præceptis moralibus adhibendæ intelligat, in Antinomorum errorem incidit, &, si per Evangelium velit ita à peccati dominio liberatos ut justificationem, quæ absolvit à peccatorum reatu, operibus nostris sanctis, tribuat, ab Apostoli mente aberrat.

Sed mitto ista, & noto quod dicit §. 6. [*Lex hic ostenditur ab omni culpâ per se aliena esse: quippe quæ omne id quod legis est præstiterit prohibendo peccata imo & interna peccati desideria, quæ absque lege esset, peccata fuisse homines vix ac ne vix quidem agnovissent.*] Exinde infero, defectus non erat legis ut talis, quod non daret vires præstandi, aut præmium observantibus, aut remissionem peccatorum contra eam.

§. 7. Post analysin c. 7. ad *Romanos* ait [*mirum esse ac penè prodigii instar habendum reperiri viros doctos, qui Apostolum in posteriori parte ejus Statum hominis regeniti ac sub gratia Evangelicâ constituti describere somnient; ea certè*

ſententia præter novitatem laborat etiam gravibus incommodis (ne quid gravius dicam atq; abſurditatibus plane palpabilibus] Quia verò multum conducit ad definiendam controverſiam de regenitorum operibus an ex iis juſtificentur? examinabo quæ profert. [*Analyſin ſuam ait facilem & perſpicuam*] ſed interpretes non contemnendi difficultates inveniunt in nodis è textu ſolvendis & tenebras etiam in iis, quæ ipſe ſatis fidenter perſpicua dicit. Sed miſſis iſtis duo ſolùm argumenta habet, quibus expoſitionem *v.* 14. &c. de Apoſtolo ipſo eoque ut regenito incommodis & abſurditatibus onerat.

[*Prius ducit ab ineptitudine ad inſtitutum ejus objectionibus ex legis inefficacitate ad homines à peccati dominio liberandos in iis qui gratiâ Euangelii carent deſcriptione & repræſentatione ſtatus ſui ſub Evangelio reſpondere*] Atqui ſi tam ineſficax eſt lex propter reliquias peccati in ipſo regenito uti *v.* 14. &c. deſcribit ſortiùs probatur eſſe inefficacem in non regenitis, atque adeò aptior hæc expoſitio

tio ad institutum ejus, & ratio satis manifesta inde ducitur, cur post statum sum irregenitum describat etiam statuum suum gratiâ acceptâ. Nec obstat particula causativa γὰρ v. 14. Nam sic connexio potest concipi, ut ostendat quàm superlativè peccans sit peccatum per mandatum, pugnam peccati adhuc in ipso etiam regenito habitantis adversùs legem Dei quamvis spiritualem describit. Si enim post ampliorem cognitionem spiritualitatis legis carnalitas, quæ in me licèt multùm debilitata tantas retinet adhuc vires, ut repugnet in me tam acriter & frequenter; multò minùs in iis qui legem non tam plenè sciunt, & carnis impetum prorsùs sequuntur lex ad coercendum valet: sed potiùs peccatum est supra modum peccans per mandatum. Et reverà emphaticè videtur posuisse [*at ego carnalis sum*] ut de seipso indicet incongruitatem affectuum erga legem cum scientiâ quam habet spiritualitatis ejus. Nec [*sic instituta paraphrasis v. 13. 14. & Sequentium ad normam hujus interpretationis pro mirè concinnatâ Apostolici Sermonis serie arenâ planè sive calce reperietur*]

tur] quia a loco, in quo ab eo quod minùs probabile ad id quod magis probabile arguitur, ſumitur argumentum. Ad hanc vero interpretationem ſuiciendam non levis eſt momenti, quòd cum dixerat v. 9. ἐγὼ ἔζων χωρὶς νόμου ποτὲ v. 10. ἀπέθανον v. 13. ἵνα γένηται διὰ omnia à v. 14 &c. de ſeipſo in præſenti tempore loquitur. Nec iſte Author rationem mutandi temporis idoneam reddit: nam cauſam oſtendiſſet cur ex lege aliud in homine conſequatur quam id quod per ſe lex propoſitum habet, ſi in tempore præterito quod loquitur de ſeipſo dixiſſet, eum fuiſſe carnalem quanquam lex erat ſpiritualis. Quin hoc adjiciam, ſi dicatur per longam parenthesim ſive digreſſionem (qualis eſt à 1. *Cor.* 1. 17. ad 1. *Cor.* 3. 1.) Apoſtolum luctam in ſe jam regenito deſcribere à v. 14. ad finem capitis [illegible] gratiam Dei amplius celebraret nec abſurditas aut incommodum ex hâc interpretatione naſceretur.

Alterum argumentum eſt [*Quæ de perſonâ iſtâ v.* 14. &c. *dicuntur repugnant ex diametro iis quæ c.* 6. *&* 8. *& alibi homini regenito tribuuntur* 1. *De homine*

his

hic deſcripto dicitur Ego ſum carnalis; *at de regenito dicitur, quod non ſecundùm carnem ambulet ſed ſecundùm ſpiritum c. 8. v. 1.*]

Reſp. ſic ſcribit 1. *Cor.* 1. 2. κλητοῖς ἁγίοις c. 3. 1. οὐκ ἐδυνάθην λαλῆσαι ὑμῖν ὡς πνευματικοῖς ἀλλ' ὡς σαρκικοῖς ὡς νηπίοις ἐν χριστῷ v. 3. 4. 11. ἔτι σαρκικοὶ ἐστὲ, ὅτι σαρκικοί. *Gal.* 5. 17. patet dici de eo *in quo concupiſcit ſpiritus & carnem concupiſcere*, Regenitus ergo ex parte carnalis ex reliquiis carnis non penitùs mortificatæ etſi lethaliter ſauciatæ : & ſecundùm has movet, etſi ſecundùm ſpiritum ambulet.

2ò Ait [*De homine hîc deſcripto hîc dicitur, quòd peccato planè mancipatus ſit, inſtar eorum, qui venditione traduntur in Domini alicujus imperium ac poteſtatem v.* 14. (*cui ſimile de Achabo non tantùm regum, ſed & mortalium ferè peſſimo dicit Scriptura ubi in Græco eſt* ἐωρέθη ποιῆσαι τὸ πονηρὸν 1 *Reg.* 21. 20.) *At de regenito affirmatur quòd liberatus à peccato ſervus factus ſit juſtitiæ cap.* 6. 18.]

Reſp: dici poteſt παραβίαιος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν (quod involuntarium planè ſonat)

non peccato planè *mancipatus* esse, qui ἐδουλώθη τῇ δικαιοσύνῃ Rom. 6. 18. hoc est qui παρέστησε τὰ μέλη αὐτοῦ δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμὸν v. 19. quod animi propositum habituale servitio voluntario justitiæ devoti notat, sicut παρῃμένῳ ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν dici potuit Petrus cum Dominum abnegavit, quamvis ex fixo animo proposito ei ut servus justitiæ adhæserit. Et hoc longè aliud est ab eo quod de *Achabo* dicitur, qui non dicitur παρῃμένῳ aut ἐπράθη passivè aut involuntariè. sed de eo התמכרו seipsum *venundidisse* dicitur *ad faciendum malum in oculis Domini*, quod animum ad malum se addicentem sonat.

3ò Ait [*Homini hîc descripto cognitionem quidem atque inefficacem boni velleitatem tribuit Apostolus, facultatem verò, quod bonum est, faciendi omninò detrahit* v. 18. 19. *At de regenitis omnibus quòd in iis Deus & τὸ velle & τὸ perficere operetur Phil.* 2. 13. *& de seipso quòd per gratiam Christi omnia potuerit Philip.* 4. 13.]

Resp. non solùm inefficacem boni velleitatem v. 18. 19. sibi tribuit, sed τὸ *velle* idque juxta fixum voluntatis proposito,

positum, cum dicit τὸ θέλειν παράκειταί μοι, ὁ θέλω; nec facultatem quod bonum est faciendi omninò detrahit, sed actum faciendi, qui præ tentatione sive carnis concupiscentiæ, sive spiritus impuri deficere possit etiam in regenito, ut sanctissimi etiam viri, qui martyrio vitam profuderunt pro Christo experti sunt in semetipsis. Quanquam enim τὸ *velle & perficere operetur Deus*, ea tamen operatur ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, adeò ut opus habeant viri pii *salutem cum timore & tremore operari*. Et quanquam ἐνδυναμοῖ χειστὸς aliquando tamen ut 2 *Cor.* 12. 7. *datur furculus carni infixus Angelus Satan qui colaphis cædat, & derelinquit aliquando Deus pium virum tentando ut experiatur quicquid ei est in animo* 2 *Paral.* 32. 31. Interea si Deus τὸ *velle & perficere operatur* quod hîc agnoscit hic Author, idque ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας [*irresistibilis*] (quam contra Remonstrantes tuentur si eorum mens candidè reddatur) *gratiæ operatio non funditùs evertitur hoc dicto* quod *Bullus* satis protervè ait *c.* 18. §. 14. sed stabilitur, prout *Samuel Wardus in concione ad clerum Cantabrigiæ* super hoc

textu

textu *Phil.* 2. 12, 13. probavit.

4ò Ait [*Denique de homine hîc deſcripto hîc dicitur quod lex membrorum captivum eum reddat legi peccati v.* 26. *At de regenito affirmatur mox cap.* 8. 2. *quod lex ſpiritus vitæ in Chriſto liberaverit eum à lege peccati & mortis.*] Reſp: lex ſpiritus vitæ in Chriſto liberat regenitum à lege peccati & mortis ut non regnent ſicut dicitur *Rom.* 5. 21. ſed non liberat adeò ut nunquam in conflictu hoc à lege peccati quæ eſt in membris vi concupiſcentiæ aut perturbatione in carne captivetur, quod *Paulus* dixit *Rom.* 7. 23. Quod de *Davide*, *Jonâ* aliiſque omnibus etiam ſanctiſſimis, qui ſeipſos nôrunt heu nimis compertum eſt: ideoque quod *Paræus* dixit, *hæc omnia dici potuiſſe reſpectu infirmitatum ſanctorum, non caret omni ſpecie probabilitatis*, ut hic Author ait, nec [*vis fit Scripturæ, aut à manifeſto ſenſu Scripturæ receditur*] ſed è Scripturâ & experientiâ probantur: quanquam calumnioſe hic Author affingat huic expoſitioni, *ac ſi non ſolùm ſignificaret hominem regenitum eſſe carnalem ex parte, ſed* [*& peccati vernam, ad faciendum*

endum quod bonum est inhabilem, legi peccati captivum duci, legi peccati servire] & deinde inferat [*non infirmitates Sanctorum Pauli verbis expositis de regenitis significari, sed non potuisse verbis Pauli hominis statum pessimis vitiis mancipati significantiùs exprimi*] Quod si [*status hominis irregenti hîc describatur, & sit ejusmodi ut omnibus sub lege etiam ipsi Paulo competat, & status hominis pessimis vitiis mancipati*] ut hic Author vult, hoc dicat necesse est de *Simeone*, *Zachariâ*, *Elizabethâ*, *Annâ*, ante fidem Christi quod negat *c.* 8. §. 4. & de *Paulo* contra id quod dicit de seipso *Acto.* 23. 1. & 24. 16. *Philip.* 3. 6. 2 *Tim.* 1: 3. §. 12. &c. Argumentis *Paræi*, quæ contemptim *ratiunculas*, dicit, contra suam sententiam respondet *Bullus Primum sic se habet. Manifestum est de se non de alio loqui Apostolum, quia continuat querelam de se in primâ personâ per totos duodecim versus, Ego sum carnalis &c. Nec apice ullo innuit de alio sibi sermonem esse. Nimis ergo audax erit factio & depravatio manifesti textus sic torquere verba: non ego sum sed alius quidem est carnalis &c.*

Cui

Cui respondet [*Frigidum sanè argumentum magno fervore prolatum. Quis enim in Paulinis Epistolis adeò peregrinus est, ut nesciat hunc* μεταχηματισμὸν, *quo in suâ personâ quæ ad alios pertinent exprimere gaudet, esse figuram Apostolo satis familiarem? Certè luculentissimum hujus loquendi formulæ exemplum habemus* 1. *Cor.* 4. 3. 4. *Coll. v.* 6. *ibi enim Apostolus apertè dicit se* μεταχηματίζειν *Similia vide Rom.* 3. 7. 1 *Cor.* 6. 12. 15. & 10. 23. 29. 30. *Gal.* 2. 18. *Nec malè à veteribus notatum hoc schema Apostolo tunc usitatissimum fuisse cum modestiæ causâ res odiosas sic exprimere voluerit.*]

Cui repono. Ejusmodi μεταχηματίζειν in nullo è textibus invenio. Quæ dicuntur 1 *Cor.* 4. 3. 4. 6. de nemine nisi de seipso potuit dicere nisi conscientiam aut vitam alienam nôsset (quod Dei proprium) ideoque μεταχηματίζειν qualem fingit hic Author non innuitur 1 *Cor.* 4. 6. nec quæ *Grotius* aut *Hammondus* (quos hic Author sequitur) scribunt Apostolum μεταχηματίσαι εἰς ἑαυτὸν aut *Apollo*, sunt aliæ personæ aut aliæ res, quàm quæ ipsis conveniebant, quod de seipso

in

in propriâ perſonâ dici Rom. 7. 14. &c. unà cum Authore prorſùs negant. Quæ verò fictio perſonarum 1. Cor. 1. 12. à Chryſoſtomo & Hieronymo in iſtum locum concepta eſt, à me olim in concione Anglicanâ in 1. Cor. 3. 21. cui titulum Anthropolatria dedi & edidi Londini anno 1645. refutata eſt his rationibus 1. Ejuſmodi fictio innuit Corinthios pro nomine Pſeudoapoſtolorum ſuum & Apollo poſuiſſe, ſed è verſibus 1. Cor. 1. 11. 12. patet narrationem facti recitari à Cloe domeſticis ad ipſum perlatam: Atqui fictio perſonarum ab hiſtoricâ ejuſmodi narratione alieniſſima eſt. 2. nomen Chriſti ſine fictione uſurpatur ut v. 13. innuit, ergo & cæterorum v. 12, 3. diſſuader à ſchiſmate ex ipſius nominis prætextu, &, ut oſtendat ſe anſam non præbuiſſe, commemorat accidentia propria ſuæ perſonæ v. 14, 15, 16, 17. 4. invehitur c. 3, 4. in iſta Schiſmata, & rationes v. 5. 6. addit quæ iſti μεταχηματιζω adverſantur 5. nec in iſtâ Epiſtolâ quicquam dicit de pſeudoapoſtolis ſed in ſecundâ c. 11. 6. ταῦτα 1. Cor. 4. 6. non de rebus aliis odioſis aut nominibus aut rebus ipſis incongruis

gruis dicitur, sed de iis quæ dixerat de se & *Apollo* 1. *Cor.* 3. 6, 7. 8, 9. uti *Beemannus exercit. Th.* 12. p. 207. & 1. *Cor.* 4. 1. quæ sine figurâ ejusmodi quam fingunt ab Apostolo usitatam *Rom.* 7. sibi applicat ut vestem, ut discerent in ipso & *Apollo non sapere supra id quod scriptum est forsan Matth.* 23. 11. 12. Nec Rom. 3. 7. 1 *Cor.* 6. 12. 15. aut 10. 23. 29. 30. *Gal.* 2. 18. est ejusmodi μεταχηματισμὸς qualis fingitur ad *Rom.* 7. 14. &c. quasi diceret *Paulus* de seipso, quæ de ipso non sunt vera, sed de alio intelliguntur, alteriusq, personam sumeret cum dicit quædam quasi de seipso vera essent.

Sed urget *Bullus* [*dicit Apostolus se* χωρὶς νόμου πάλε v. 9. *quod non nisi de Gentili dicitur Rom*: 2. 1, 2. 1 *Cor.* 9. 20. 21.] Resp. Ipse *Bullus* c. 10. §. 6. p. 213. componendo Rom: 7. 8, 9, 10, 11. cum Rom: 4. 15. 2 *Cor.* 3. 6, 7. hunc sensum amplectitur istius locutionis, *si non esset lex vixissim hoc est morti non essem obnoxius*, quod de *Paulo* ipsodici potuit, ideoque non necesse est de Gentili dici, ac si personam Gentilis induisset. Sed reverà quod dicit *se* χωρὶς νόμου *aliquando vixisse*

vixisse intelligit de lege non animadversâ quoad spiritualitatem sicut ἁμαρτία χωρὶς νόμου *mortua* dicitur, hoc est sine apprehensione legis aut non irritâsset concupiscentia aut non territâsset conscientia peccati, sed ipse in suâ apprehensione vixisset: *veniente* verò *mandato* in ipsius cognitionem concupiscentia vim suam exeruit sive ad irritationem, sive ad terrorem. Quod contra habet *Bullus* brutum est fulmen. Nam per totum caput ejusmodi locutiones usurpantur, quæ alibi non inveniuntur in eodem sensu. Nec potest ἔζων χωρὶς νόμου aliter intelligi quàm quòd in suâ conscientiâ aut animo securus esset, antequam intellexerat prohibere concupiscentiam ut v. 7. nec ἀναζήσεως ἐντολῆς potest eo sensu, quo dicit *Rom.* 5. 20. νόμος δὲ παρεισῆλθεν, intelligi de primo ejus in mundum ingressu sive hominibus datione. Nam venisse mandatum posteriore tempore quàm vixerat sine lege, dicitur: At hoc non potest intelligi de tempore ante ingressum legis in mundum aut dationem legis hominibus sive ista datio fuerit *Adamo* aut *Israelitis* in fœdere *Sinaitico*. Nec opus ut tempora

ista

ista nos definiamus in quibus fuisse dicitur *sine lege*, & *deinde venisse mandatum*. Sat nobis est de personâ *Pauli* ista dici potuisse sine absurditatibus, quas isti expositioni affingit *Bullus*.

2o Objicit *Paræus*. *Velle bonum, nolle malum, odisse peccatum, non est nisi renatorum: Apostolo in hâc luce adjacet velle bonum, nolle malum, odisse peccatum v.* 15, 16. 18, 19, 20, 21. *ergo loquitur de se & de se etiam renato.*

Resp. *Bullus* [*Apostolum loqui non de velitione forti & constanti certoque animi decreto ac proposito, quod non est nisi renatorum, sed de velleitate quâdam levique & evanido boni desiderio: quia inter velle bonum & perficere discrimen statuit* v. 18. *Jsne igitur est regenerationis illius propè divini status, ut ad pietatem & virtutem leviter inclinetur, nunquam tamen id à se impetrare queat, ut earum officiis defungatur?*]

Repono: non est. nec velle ibi est levis inclinatio, nec dicitur, nunquam à se impetrare potuisse, ut pietatis officiis defungatur. Sed fieri potest, ut verè regenitus qui habet constantem voluntatem faciendi

faciendi bonum præ tentationibus non perficiat aliquoties. Quod & monet servator *Matth.* 26. 41. *vigilate ut non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.* Quod consimilirer de odio peccati quod facit regenitus dici potest, ut de *Petro* manifestum deque aliis, qui illecebris concupiscentiæ pertracti sunt in tentationem ut *Davides*, & tamen invitus peccavit, hoc est contra fixum animi propositum servandi mandata Dei: De eo enim Dominus ipse *Actor:* 13. 22. *Inveni Davidem filium Jesse virum secundùm cor meum qui exsequetur omnes voluntates meas.* Nec difficile est intelligere aut cupiditate aut terrore ut à irâ vehementi permotum regenitum posse ea facere quæ odit, idque ex pænitentiâ innotescit. Is bonum ita vult ut plerumque faciat, qui quo modo bonum faciat non invenit. Quod non [*ex antithesi ad præcedens verbum* σαράκειται *liquet idem esse ac ab ipso benè agendi vim ac facultatem longissimè abesse*] Sed non semper adesse. Sed [*eam* ἐναντίωσιν *Apostolum aut renatos* ὡς ἐπὶ τὸ πόλυ *passos*] non dicit textus, ideoque nulla est [*contradictio*

in eo quòd dicitur, velle adest mihi etiam regenito, sed ut quod bonum est efficiam non invenio, & renatorum est peccatum nolle, & aliquando facere, bonum velle & plerumque facere.] De eo vero de quo loquitur *Paulus Rom.* 7. 14. &c. & de quo hæc dicuntur malè dicit *Bullus* [*peccati planè mancipium esse.*]

3ò Inquit objicitur : *consentire legi quòd bona sit, & in lege delectari est renatorum proprium Psal.* 1. 2. & 119 77. 103. *Apostolus in hâc luctâ consentit legi quòd bona sit v.* 16. *& in lege delectatur v.* 22 *loquitur igitur ut renatus.*

Resp. [*consensus legi Divinæ prabitus communis est irregenitis cum regenitis: nam peccant contra dictamen conscientiæ & συνήδεσιν idem videtur quod σύμπνοι, metonymicè gaudere pro approbare sicut δουλεύειν τῷ νοῖ v.* 25 *quod non est actu obedire, hoc enim non est mentis sed approbare, quod & irregenitus facit. Potest & irregenitus gaudere ut Herodes Marci* 6 20. *Judæi Joan.* 5. 35 *temporarii Matth.* 13. 20. *talis est hæc condelectatio fluxa & evanida, absorpta ab illecebris, quibus planè captivus legi peccati abducitur v.* 22. 23.

Repono

Repono, Gratis dicitur *gaudere est solùm approbare*, aut ἡδονὴν notare *solùm fluxam & evanidam oblectationem qualis in Herode, Judæis, temporariis memoratis.* Dicitur enim esse κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον; quod nonnisi de regenito dici potuisse patebit in confirmatione quartæ objectionis, quæ sic se habet.

4o Objicitur: *soli renati habent hominem interiorem, i. e. novum: Apostolus in hâc loc. habet hominem interiorem (nam secundum eum ait se delectari lege Dei) loquitur igitur ut renatus.*

Resp. *Bullus* cum *Grotio* [ὁ ἔσω ἄνθρωπος *non est novus, quo qualitas subjecti significatur, sed anima rationalis,* ὁ ἔξω *corpus cum affectibus corporeis, liquet illud ex* 2. *Cor.* 4. 16. *confer Luc.* 12. 4. 5. *qui hic* ὁ ἔσω ἄνθρωπος *vocatur etiam* κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος 1. *Pet.* 3. 4. *non est hic novus homo: ubi enim novus est homo ibi vetus esse desiit. Manent quidem nonnullæ veteris hominis relliquiæ etiam in renovatis: sed relliquiæ istæ nunquam (quod sciam) nomine veteris hominis in Scripturis veniunt; siquidem vetus homo notat corpus peccati (ut ita dicam)*

completum cum omnibus atque integris suis membris. Postremò manifestum est συνήδομαι τῷ νόμῳ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον *v.* 22. *idem esse quod* τῷ νοὶ δουλεύειν τῷ νόμῳ *v.* 25. *Idem est ergo* ὁ νοῦς καὶ ὁ ἔσω ἄνθρωπος *mens & interior homo; At mentem esse in unoquoque homine nemo nisi mentis inops negârit.*]

Repono, nec ὁ ἔσω ἄνθρωπος nec ὁ νοῦς apud Apostolum animam aut mentem nudam sine qualitatibus aut affectibus notant. Anima quoad substantiam non dici potest indies renovari. Ipse *Bullus* sic exponit [*partem meliorem significat, quæ nullis afflictionibus labefactari potuerit, quin potiùs ex iisdem melior evaserit, novaque indies pietatis incrementa acquisiverit. Non potuit eorum malitia ad animam ipsius pertingere; quippe quæ in securâ Dei solius custodiâ ἔξω βέλους extrà periculum posita fuerit*] Quæ non dici possunt nisi de regenito. Idemque patet è 1. *Pet.* 3. 4. ubi ipse *Bullus* ait [*exteriorem corporis ornatum opponi interiori ornatui hominis occulti in corde i. e. animi*] Imò ipse textus satis evincit de alio quàm regenito dici non posse, cum

dicitur

dicitur *iste occultus cordis homo esse in incorruptione lenis ac quieti spiritus qui est inconspectu Dei pretiosus.* Quæ de regenito dici indubitatum est. Verum est [*ubi novus homo induitur vetus desiit:*] Sed ut novus homo gradatim renovatur, ita vetus desinit gradatim. Reliquias peccati in renatis manere satis constat è Scripturâ 1. *Cor.* 3. 1. *Heb.* 5. 11. 12. &c. & experientiâ omnium qui seipsos examinant & nôrunt. τὸ νοῖ *v.* 25. non significat *mentem simpliciter, sed eam renovatam sine quâ nemo servit Deo Rom.* 8. 8. sicut τῇ σαρκὶ ibi & *v.* 18. & alibi non nudum corpus, sed hominem in quantum est irregenitus. Nec loci quos *Grotius* è *Philone* aut *Tertulliano*, aut quos *Bullus* ex *Origine* adducit huic interpretationi obstant, sed potiùs ad eam confirmandam faciunt. Certè per interiorem hominem intelligitur anima cum qualitatibus & affectibus. Substantiæ enim sapor non est alius quàm quo percipit & afficitur. Jure ergo *Paræus* frivolum censet quod huic argumento opponitur; nec minùs ejus instituto servit proximum quod ponit argumentum.

5ò Objicitur, *Ingemiscere de suâ miseriâ ob vim peccâti, desiderare liberationem, agnoscere & celebrare gratiam Dei per Christum non est nisi renatorum: Apostolus suspirat & gratias agit de liberatione per Christum v. 24, 25. loquitur igitur ut renatus.*

Resp. Bullus [*Addit Apostolus exclamationem homini qualem in versibus præcedentibus descripserat convenientem, miserum, & si legem spectes, planè desperatum ejus statum ostendens. Deinde v. 25. εὐχαριστία quæ per παρενθήκην legenda. Hinc ducit argumentum invictissimum pro suâ sententiâ, status hominis in hoc capite descripti est status miseriæ, status peccati ac mortis, status denique à quo, quicunque Christi sunt, liberantur. At status renatorum non est hujusmodi, Ergo status renatorum non est status hominis in hoc capite descripti.*]

Repono 1. non ostendit *v.* 24. statum planè desperatum utpote militis victi sed anxii in pugnâ acri & periculo mortis. 2. Nec per παρενθήκην *v.* 25. legendus. 3. utcunque certum eundum qui exclamavit *v.* 24. gratias agere *v.* 25. isque est *Paulus* ipse, ut ipse *Bullus* in suâ paraphrasi

phraſi [*gratis Deo habendæ per Chriſtum cujus ope ipſe ab hoc corpore mortis liberationem conſecutus ſim*] quæ vox nonniſi regeniti, adeòque falſum μεταχηματισμὸν, quem *Bullus* fingit in hoc capite uſurpari. 4. negatur in *Bulli* ſyllogiſmo minor [*At ſtatus renatorum non eſt hujuſmodi.*] ſtatus enim miſeriæ, peccati & mortis, à quo quicunque Chriſti ſunt liberantur, prout à *v.* 14. ad finem capitis deſcribitur eſt ejuſmodi miſeriæ, quæ in renatum cadat. Ingemiſcere verò ut hîc fit *v.* 24. non eſt niſi pœnitentis, nec gratias agere ut *v.* 25. eſt niſi credentis adeoque renati, quod probatur ulteriùs ex verbis poſtremis, unde.

6um Argumentum. *Quod dicit* αὐτὸς ἐγὼ *ipſe ego dubitationem omnem tollit, quòd non de alio, ſed de ſeipſo, nec de præterito ſed de præſenti ſtatu, dum hæc ſcriberet, loquatur Apoſtolus. Ego ipſe, inquit, non aliquis alius præter me, ſervio, inquit, non, ſervivi. nimis igitur protervè Julianus pelagianus olim de alio quodam nondum renato loqui finxit Apoſtolum. viderint proinde, quibus Julianæ gloſſa adeò arridet, quomodo ab hac protervia ſe liberent.*

Resp. *Bullus* [*αὐτὸς ἐγὼ melius verti possit ille ego, de se si Apostolus locutus fuisset verosimiliter ἐγὼ simpliciter dixisset, neque enim opus fuit aliâ adjectione. At quia alium quempiam in suâ personâ hactenus descripserat (interserta tantùm παρενθετικῶς sui ipsius nomine breviculâ gratiarum actione initio hujus commatis) idcircò majoris perspicuitatis gratiâ αὐτὸς ἐγὼ ille ego dicit, ut etiam hæc ultima verba non de seipso (ut immediatè præcedentia) sed de eodem illo homine in superioribus delineato intelligeretur. De Juliano dictum ut odium sententiæ nostræ conciliaret, quasi esset monstrosus quidem fœtus ab insigni aliquo Hæresiarchâ in lucem primùm editus. Quæ tamen sententia Originis & Græcorum Patrum ferè omnium, & ex parte Latinorum ante Augustinum, atque adeò ipsius aliquando Augustini.*]

Repono. Lectio [*ille ego*] quasi de aliâ personâ præter seipsum diceret exemplo caret, & est contra usum verbi δουλεύω in primâ personâ & tempore præsenti, quod *ineptum esse cavillum* adhuc non ostenditur. Nec adhuc probavit iste

iſte cenſor *temerarium Paræum, aut grammaticam hanc ineptiam*, quâ rejecerit ſententiam quam oppugnat. Nec *αὐτὸς additum perſpicuitatis gratiâ ad* mentem hujus Authoris, ſed ut perſpicuè & certiùs oſtendat de ſeipſo *Paulum* loqui ut jam ad Chriſtum converſo, eundemque eſſe qui gratias egerat verbis proximis, & de quo loquitur *Rom.* 8. 2. ſicut eâdem formâ utitur *Rom* 9.3.& 15.14 2 *Cor.*10. 1. Quod de *Juliano* dictum eſt ad cautelam tendit neceſſariam hiſce temporibus, in quibus ſana doctrina de gratiâ Dei ex ſe efficaci, & juſtificatione ex fide ſolâ contra liberi arbitrii indeterminationem à gratiâ & juſtificationem ex operibus admodùm periclitatur.

Eſtius in Rom. 7. 14. ſic urget. Gal. 5. 17. Quæ verba cum ſimilia ſint iis, quæ in c. 7. ad Rom. leguntur v. 18. 19. 23. atque ad renatos haud dubiè pertinent: ſatis profectò oſtendunt, etiam hunc locum (nempe cap. 7. ad Romanos) ad perſonam hominis renati ac ſpiritualis eſſe referendum, cui cum carne bellum eſt inteſtinum & continuum.

Reſp. *Bullus* 1. [*ex ſimilitudine verborum*

borum sensus sic affingitur à scopo authoris alienus. 2. Nec similitudo est quam imaginatur 1 Lucla Rom. 7. est inter appetitum sensitivum & rationem sive intellectum cognitione legis imbutum, Gal. 5 inter carnem & spiritum Christi ut ex v. 18. Coll: cum Rom. 8. 14 apparet, i. e. animum hominis luce & gratiâ Evangelii donatum. Ne gry quidem de spiritu Christi Rom. 7. Ergo de homine agit cui nullum adversus carnem auxilium, præterquàm ratio sive intellectus notitiâ legis instructus, quique proinde spiritu Christi omnino caret. 2. Non dicit hic Apostolus hominem per Evangelii gratiam renatum non posse bonum quod velit perficere, sed ut non faciatis mala ista quæ alioquin per carnem facere velletis. Qui sensus clarissimus 1. quia convenientius est referre ultima commatis verba ad membrum proximè præcedens. 2. sensus iste scopo & contextui quadrat. v. 13. hortatur ne carni occasionem darent, v. 16 remedium præscribit, ἃ ἐὰν θέλητε non sunt imperative reddenda, v. 17. mox sequitur, quasi dicat, carnem versus propenditis, ejusque desideria haud illubenter perficere velletis, si tamen estis sub imperio

rio & ductu ſpiritus Chriſti, fieri non poteſt, ut cupiditatibus iſtis morem geratis. Dat quidem operam caro, ut in obſequium ſuum vos trahat, ſed non poteſt; nam & ſpiritus etiam concupiſcit adverſus carnem, & magnus eſt ille ſpiritus & prævalebit, efficietque ut non perficiatis iſta carnis deſideria quæ alioquin facere velletis. Niſi ſic exponantur tantum abeſt ut idonea ſit ratio cur in ſpiritu quis ambulet, ut contrarium plane ſuadeat. Si v. 17. de bonis quæ ſpiritus dictat præſtare non poſſe loqueretur ad Galatas, non jam ſalutiferâ nativitate donatos, & ſpiritu Chriſti quadantenùs affectos ſed licèt cognitione Evangelii illuminatos, & ſpiritu Chriſti quadantenùs affectos, ſub carnis tamen dominio adhuc manentes, & cum lege quàm Evangelio plus commercii habentes contra Gal. 5. 16. 18. 23, 24. Rom: 8. 14.]

Repono 1. expoſitione prout in objectione fit non affingitur ſenſus à ſcopo Authoris in loco *Rom.* 7. 14. &c. alienus. 2. deſcribi luctam inter carnem & ſpiritum Chriſti probatum eſt ex *v.* 22. 25. 3. *ſi velle malâ Gal.* 5. 17. *carnis deſideria haud*

haud illubenter perficere dicantur; idem de iis dicetur, ex quo de homine irregenito agi *Rom.* 7. concludere velit iſte author. 4. ſi ex eo quod *ſpiritus concupiſcit adverſùs carnem* non poſſint regeniti perficere iſta carnis deſideria, quæ alioquin facere vellent, tum liberi arbitrii indifferentia aliquando auxilio ſpiritus tollitur, & perſeverantia renatorum ſanctorum ſtatuitur. 5. ſi de volendo bona *Gal.* 5. 17. intelligatur ratio hortationis ad ambulationem in ſpiritu ſatis congrua hæc erit. Difficulter bona quæ velletis perficere poteſtis propter luctam inter carnem & ſpiritum, ergo diligentiâ & cautione opus eſt ut ſpiritu ambuletis. 6. non facere bona quæ vellent regeniti in tentationibus aliquibus propter luctam carnis & ſpiritus non facit mancipium peccati, nec integrè carnalem nec contrariatur dictis *Gal.* 5. 16. 18. 23. 24. *Rom.* 8. 14. 7. non opus eſt parentheſi *Gal.* 5. 17. 8. convenientius ἵνα μὴ θέλητε de bonis propter id quod proximè antecedit ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις exponitur: & rectiùs dicitur regenitos velle bona quàm mala. Concludit hoc caput *Bul-*

lus

ius his verbis [*Atque hæc de ſenſu cap. 7. ad Romanos, in quo diutiùs eo immorati ſumus tum quòd ibidem argumentum Apoſtoli ab infirmitate legis ex profeſſo tractetur, tum quòd contrariâ interpretatione admiſſâ cauſa, quam agimus, manifeſtè corruat. Si enim inefficax iſta boni velleitas, quæ ſola homini in iſto capite repræſentato tribuitur, totum illud ſit, quod gratia Chriſti in nobis efficiat; tum certè de honore & eximiâ illa Evangelii præſtantiâ, de bonorum operum ſanctaque vitæ neceſſitate actum omnino eſt: velle benè vivere ſat erit, reipſâ benè vivere non erit neceſſe.*]

Repono. Et ego replicationi diutiùs inſtiti, ut cauſa iſta corruat, quippe tollit neceſſitatem petendæ quotidianæ remiſſionis peccatorum, & conſolationem poſt agones carnis & ſpiritus, lapſuſque ex infirmitatibus quas Chriſtiani ſæpiſſimè in ſeipſis experiuntur, adeòque de gratiæ Chriſti & ejus interceſſionis & functionis ſacerdotalis in cælo beneficio plurimùm detrahit, vitamque per fidem de quâ *Paulus Gal* 2. 20. extinguit, & *Phariſaico* faſtu inflat, & ad *Phariſaiſmum*,

mum, Pelagianiſmum, Papiſmum, Socinianiſmum, Tremulorum fanaticiſmum ducit. Sed falſo dicit ea ſequi quæ ex ſententiâ contrariâ ſequi vult, *iſta ſententiâ inefficacem boni velleitatem ſolam homini in iſto capite repræſentato tribui, & eam eſſe totum illud quod gratia Chriſti in nobis efficit, aut de honore & eximiâ illâ Evangelii præſtantiâ, de bonorum operum ſanctæque vitæ neceſſitate actum omninò eſſe; velle benè vivere ſat fore, reipſa benè vivere non fore neceſſe.*

Animadverſiones in caput decimum.

C. 10. §. 2. 3. aſſerit [*fœdus Moſaicum carniſſe promiſſo vitæ æternæ, & dono Spiritus ſancti: promiſſiones legis & comminationes in quibus vis legis cujuſcunque ſita eſt, non fuiſſe niſi temporales ac terrenas. Non potuit igitur lex moſis, quæ nihil ultra hanc vitam promiſerit, ſtudium virtutis ſincerum, ardens, conſtans, indefeſſum in hominibus efficere, ſed ad ingenerandum genium atque ingenium humile ac ſordidum, atque à verâ ac genuinâ*

inâ pietate planè alienum apta nata erat; non has præcipuas pietatis partes abnegationem noſtri, crucis tolerantiam, aſſiduam orationem, futuræ vitæ meditationem, uſum bonorum vitæ hujus ſobrium ac moderatum. §. 5. *Etſi Deus etiam perfectiorem illam pietatem populo ſuo in lege non paucis indiciis ſignificaret, quam tamen legibus latis pœnâque ſancitis exigebat, religio erat rudis admodùm, tenuis, puſilla, anguſta. Quàm multa illis permiſſa, quæ nobis Chriſtianis vel omninò non liceant vel parùm conveniant? quot eximia pietatis officia, quæ in lege vel leviter tantùm perſtricta, vel obſcuriùs ſignificata, vel omninò prætermiſſa? Quod adeò verum eſt ut precatio ipſa, primarium pietatis officium, in quod nobis Chriſtianis aſſiduè incumbendum eſt, nuſpiam in lege univerſaliter i. e. toti populo atque omni tempore præſcripta legatur.*]

Sed de hâc ſententiâ, quicunque legerit ea quæ in *Deuteronomio* & in libro *Pſalmorum* de lege Dei & praxi impoſitâ dicuntur, facilè percipiet quantum à verò aberret. *Deut.* 4. 6, 7, 8. *Deut.* 26 15. *Pſal.* 1. 2. 4, 5, 6. *Pſal.* 19 7. 8. 9. 10. 11.

Pſal.

Psal. 16. 7, 8, 9, 10, 11. *Psal.* 17. 14. *Psal.* 49. 15. *Psal.* 119. per totum *Psal.* 50. 14. 15. *Rom* 7. 10 12. 14. nec facile erit conciliare cum articulo 7° Ecclesiæ *Anglicanæ*, & in homiliæ de bonis operibus parte 2ª è verbis Christi *Matth.* 19. 17, 18, 19. infertur, *Quibus verbis Christus declaravit Dei præcepta esse rectam viam quæ ducit ad vitam æternam, non verò traditiones, & mandata hominum. Adeò ut hoc accipiendum sit pro verissimo documento Christi à suo ipsius ore prolato, opera moralium Dei præceptorum esse, revera opera fidei vera, quæ ducunt ad vitam futuram beatam*: sed eo libentius supersedeo ab exaggerando malitiam in istis *Bulli* dictatis, quia Author quidam, qui nomen suum celarit in libro cui titulus Anglicano sermone, *conatus reducendi ad rectitudinem opiniones quasdam contrarias doctrinæ Ecclesiæ Anglicanæ*, planè ostendit p. 130 & seq pestifera consectaria, quæ exinde dimanant.

Idem præstitit magis contra vulg. tom. 2. l. 3. c. 11.

Nec opus est prolixâ refutatitione dictatorum istorum, quæ nullam ne verosimilem quidem habent probationem.

Allega-

Allegationem *Rom.* 8. 3. in hunc sensum [*infirmabatur per carnem lex, quòd non nisi carnalia promissa continebat*] ipse rejicit & rectè. Per *carnem* enim idem significat, quod corruptionem aut pravitatem in homine, ut in verbis sequentibus & *v.* 1. patet, non defectum aut imperfectionem legis. Nec magis appositus est locus *Rom.* 7. 5. ubi vult [*legem Mosis appellari carnem, non tantùm quia præraque ejus præcepta carnalia tantùm erant, atque externa, verùm etiam quia promissa quibus lex ista sancita erat non ultrà vitam hanc carnalem spectabant*] Quæ interpretatio adversatur verbis *v.* 12. 14. in quibus *lex* dicitur *sancta, justa, bona & spiritualis*; nec ex antitheſi *v.* 6. aut scopo Apostoli in toto capite ista interpretatio manifestatur, sed ut ex eâdem phrasi *Rom.* 8. 8. 9. apparet, *esse in carne*, idem est quod, manere in statu irregenito sub dominio pravitatis innatæ, quæ dicitur caro ejusque fructus recitantur *Gal.* 5 19, 20, 21.

Grotii sensum de verbis Apostoli, ac si 2 *Cor.* 3. 6 7. *veterem legem appellaret ministerium mortis, quia scilicet omnia*

ejus promissa morte terminabantur sine ullâ spe restitutionis & interficere diceret, quia hominem morti relinqueret nec ab eâ liberaret, ipse *Bullus* sic refellit [*sed, ut verum fatear, crediderim phrases istas* διακονία θανάτου, καὶ ἀποκτείνειν *aliud quippiam significare; nempe legem Mosis scriptam, si sola sit ac spiritu destituta, occidere h. e. eos, quibus data est iræ Divinæ mortique æternæ reddere obnoxios; non suo quidem vitio, sed ob carnis infirmitatem. Quem sensum manifestè comprobant, quæ Apostolus alibi de lege dicit, scilicet* Rom. 7. *v.* 8, 9, 10, 11. & *cap.* 4. *v.* 15.] Hæc verò confessio planè evertit ipsius sententiam. Si enim lex *Mosis* iræ Divinæ mortique æternæ reddit obnoxios minatur æternam mortem obedientibus: nam non aliter dici potest reddere obnoxios morti æternæ: & si minetur mortem æternam inobedientibus promittere dicenda est vitam æternam obedientibus: & si non vitio legis sed ob carnis infirmitatem occidat, tum non est ex imperfectione aut defectu legis, quòd morti æternæ sint obnoxii quibus data est, sed eò quòd non observaretur: ergo si ob-

servaretur

ſervaretur vita ipſis eſſet æterna per legem contra id quod ſupra *c.* 6. §. 3. dictum [*certum eſt ex operibus legis moralis, etiamſi rectè fiant, imò ad amuſſim legis exacta ſint ad veram juſtificationem neminem poſſe pervenire per fœdus Moſaicum: quippe quod veram juſtificationem h. e. cum æternæ vitæ donatione conjunctam nullam præſtet. Ingens illud beneficium ex ſolo fœdere mediatoris ſanguine ſancito proficiſcitur.*]

Nec magis in rem ſuam eſt Gal. 3. 13. cui hanc appingit gloſſam [*clariora videntur Apoſtoli verba* Gal 3. 13. *lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea in iis vivet. h. e. lex neque fidem poſtulat, neque ea promittit, quæ fidem propriè dictam* (*quæ eſt ἔλεγχος ἐ βλεπομένων Heb.* 11. 1. *conſer & Rom.* 8. 24.) *poſtulant; quippe ejuſmodi tantùm promittit bona, quæ in ipſum ſenſum incurrunt, & ad vitam hanc aſpectabilem pertinent: de futurâ vitâ nec quidem dicit, nullis vitæ hujuſmodi promiſſis ad pietatem nos extimulat, ſed poſtulat ut præcepta ejus faciamus, non addito talis promiſſi incitamento: tantùm dicens, vives, h. e. vitam ages hîc feli-*

cem ac proſperam, ut ex Levit. 18. 5. *apparet.*]

Quibus repono, legem moralem non poſtulare fidem dictum eſt ejus qui non advertit ad id quod in lege dicitur: nam in decalogo præceptum primum, quod mandat ut Deum habeamus pro Deo noſtro, poſtulat fidem ſine quâ pro Deo noſtro non poſſumus eum habere *Heb.* 11. 6. nec Deum habere poſſumus aut ſervire ei, quod & præcepto ſecundo & tertio mandatur ſine invocatione. *Quomodò verò invocabant eum in quem non crediderunt*; inquit Apoſtolus *Rom.* 10. 14. ergo & fides & invocatio in lege præcipitur univerſaliter contra id quod dicitur §. 5. præcedente. Abſurdius eſt quod dicitur *fidem propriè dictam non eſſe eorum quæ ſunt aſpectabilia, qui non eſt eorum quæ aſpiciuntur.* Nam ſic *Abrahæ* aut *Saræ* fides aut ſpes non eſſent propriè dictæ de promiſſo *Iſaaco*, quia fuit aſpectabilis, & mandatum legis non fregiſſent increduli *Iſraelitæ*, quum non credebant Deo promittenti ſedem in terrâ *Canaan*, quia fuit aſpectabilis; nec juſtum erat, quod *non introiverant propter*

ter infidelitatem Heb. 3. 19. Quod verò ad legis promiſſa attinet, ulteriorem vitam quàm præſentem promiſſam in lege ſuprà probatum eſt, nec contra eſt quod dicitur *Levit.* 18. 5. Sed è citatione Apoſtoli *Gal.* 3. 12. patet contrarium. Nam eadem vita promittitur facienti præcepta legis quæ exhibetur ſolùm credentibus in Chriſtum ſecundùm Evangelium, &, cum dicitur, *lex non eſt ex fide*, ſenſus non eſt, *lex fidem non poſtulat:* ſed iſte eſt ſenſus: condicio quam lex poſtulat ad vitam hoc eſt ad juſtificationem coram Deo non eſt fides quemadmodùm in Evangelio juxta quod *juſtus ex fide vivit*, ſed conditio ad vitam æternam in lege eſt obſervatio conſtans eorum quæ ſcripta ſunt in libro legis ad faciendum ea, ſicut & execratio morris æternæ juxta legem pertinent ad eos qui ſic non obſervant. Quod de morte æternâ intelligendum, quia redemptio per Chriſtum eſt ab eâ execratione quæ legis, & donatio vitæ æternæ per eam eſt eadem res, quæ *Abrahæ* ex *benedictione per Chriſtum, quam ſpiritus promiſit per fidem*, uti Apoſtoli diſſertatio probat.

Nec auſpicatiùs ſic diſſerit [*ſed apertiſſimus eſt locus ille ejuſdem capitis v.* 21. *ſi data eſſet lex quæ poſſet vitam dare reverà ex lege eſſet juſtitia. Dicitur lex id dare vel facere quod promittit. Senſus ergo eſt. Si lex habuiſſet promiſſa vitæ, nempe æternæ, tum etiam homines per legem veram ac ſpiritualem juſtitiam, vel veram ac perfectam juſtificationem, hoc eſt, cum vitæ æternæ donatione conjunctam aſſequi potuiſſent. At longè aliter ſe res habet. Lex promiſſa tantùm continet ad hanc vitam ſpectantia; adeòque neque ad veram pietatem adducere, nec perfecta juſtificatione ipſos donare potis eſt*] nam lex dicitur dare quod promittit ſi condicio præſtetur : jus non exoritur ad bonum promiſſum ex nudâ promiſſione ſine præſtatione condicionis. Quòd verò lex non potuit dare vitam & juſtitiam ratio non eſt quia non promiſit, ſed quia non præſtita eſt condicio, idque proxima verba oſtendunt, *ſed concluſit Scriptura omnia ſub peccato : ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* Ideò non potuit lex vivificare, quia *concluſit omnia ſub peccato*, hoc eſt ejus conditio non eſt præſtita.

Nec

Nec plus præſidii habet *Bullus* in *Heb.* 7. 19. Nec enim *legis infirmitas* aut *inutilitas* intelligitur de lege morali, ſed de ceremonali, & ejus *infirmitas* & *inutilitas* non eſt quia præcepta meré carnalia aut promiſſa merè temporaria & terrena, erant, ſed quia ſaeerdotiùm & ſacrificia non potuerunt *cultorem perfectum facere quoad conſcientiam Heb.* 9. 9. Nec *perpetuam expiationem facere ſed in illis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit Heb.* 10. 3. *At ſuperinductio ſpei melioris hoc facit*, ſcilicèt Chriſti ſacerdotii ſecundùm ordinem *Melchiſedeci*, & ejus ſacrificii : quæ prædixit & ſperavit *Davides Pſal.* 110. Hæc *melior ſpes dicitur* propter certius & facilius medium obtinendi rem ſperatam, hoc eſt juſtificationem & acceſſum ad Deum, quod jam fit per fidem Jeſu Chriſti juxta id quod dicitur *Gal.* 5. 5. *nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus : Chriſtus per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta æternam redemptionem nactus, ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit inculpatum Deo emundabit conſcientiam veſtram à mor-*

tuis operibus ad colendum Deum vivum Heb. 9. 12. 14. *Per hanc ſpem appropinquamus Deo Heb.* 7. 25. *quoniam ſervare poteſt in perpetuum* (*vel perfectè*) *accedentes per ipſum ad Deum ſemper vivens ut interpellet pro eis.* Quæ appropinquatio non per opera ſed per fidem in Chriſti ſacerdotium & ſacrificium, quemadmodùm idem Author exponit *Heb.* 10. 19. 20. 21. 22. *Habentes fiduciam vel libertatem ad introitum ſanctorum in ſanguine Jeſu eâ viâ quam dedicavit nobis recentem & vivam per velum hoc eſt per carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aſperſi corde à conſcientiâ malâ.* Quibus perpenſis facilè apparebit *Heb.* 7. 19. non dici *legem moralem habuiſſe tantum carnalia præcepta, aut promiſſa terrena*, ſed ceremonialem ob imperfectionem ſacerdotis & ſacrificii inutilem fuiſſe ad plenè expianda peccata, ideòque per Chriſtum & ejus ſanguinem & interceſſionem accedimus ad Deum, non per opera præſtita juxta præcepta moralia, ſed per fidem in Chriſtum, atque ita juſtificatio determinetur eſſe

non

non per opera ſed per fidem contra mentem *Bulli*. Et ſecundum hunc ſenſum confiteor *fœdus novum habere promiſſiones meliores quàm vetus*, uti dicitur *Heb.* 8. 6. non ad mentem *Bulli*. Nec dubitamus dicere vitam æternam *Exod.* 20. 6. *Levit.* 26. 11. 12. 45. *Deut.* 7. 6. 9. 12. 13. aliiſque quamplurimis locis juxta fœdus *Sinaiticum Exod.* 19. 5. 6. promiſſam, quum ipſe *Bullus* fateatur [*ſub his verbis ego vero Deus tuus & ego benedicam vobis, Dei intentione comprehenſam fuiſſe vitam æternam ex interpretatione ipſius Chriſti ejuſque Apoſtolorum manifeſtum eſſe. Vide Matth.* 22. 31. 32. *Heb.* 11. 16. 2 *Cor.* 6. *v.* 16, 17, 18. *Coll. cap.* 7. *v.* 1. *Apoc.* 21. 3. 7.] Nec tantum iſti doctori tribuendum, ut quum Chriſtus & Apoſtoli ſic expoſuerint ejus exceptionem probemus [*hoc non ſufficere ut dicamus vitam æternam in fœdere Moſaico promiſſam fuiſſe, quia non fuerunt tam clara ſpecialia promiſſa ut ipſe putat debuiſſe.*] Arroganter nimis dicitur debuiſſe aliter fieri quàm uti à Deo facta, & non ſufficientem fuiſſe declarationem poſt Chriſti adverſus ſaducæos

ducæos inde futuræ vitæ evictionem, poſt verba Chriſti *Marci.* 10. 17. *Joan.* 5. 39. hoc ipſo authore exponente in hoc capite §. 17. ubi ait [*ſenſus ergo eſt: exiſtimatis legis præcepta obſervantibus promitti vitam æternam, atque directè eam vitam illis libris contineri*, nec quòd exiſtimâſſent errorem dicit, ſed quòd non animadverterent ſcripta *Moſis* de ipſo teſtificari.]

Animadverſiones in Caput undecimum.

C. 11. §. 1. Ait [*ſanè erat impoſſibile, ut ad ſpiritualem juſtitiam adducerentur homines per eam legem, quæ ipſis nullum ſpiritus auxilium vel promiſerit vel dederit*, & tamen §. 2. dicit, *lex Moſis, quæ moralia præcepta continet, teſte Apoſtolo* Rom. 7. 14. *ſuâ eſt naturâ* πνευματικὴ *ſpiritualis, & ſpiritualem juſtitiam docet*] exinde infero, legem *Moſis*, in præceptis moralibus mandare ſpiritualem juſtitiam, & non habere ſolùm præcepta carnalia, & tamen ea eſt impoſſibilis ob non promiſſum ſpiritum ſanctum, ergo lex juſtè mandat

mandat id quod impoſſibile eſt nobis propter corruptionem innatam, & poteſt aliquando cadere ſub præceptum, contra quod ſuprà ſtatuebat hic Author.

§. 3. Ut deroget à fœdere in monte ſinai aſſerit [*fœdus cum Judæis ſancitum Deut* 29. *& ſeq.* (in quo verba *Deut.* 30 6. reperiuntur) *planè diverſum fuiſſe à fœdere in monte Sinai facto, ideòque renovationem continuiſſe pacti cum Abrahamo initi, h e. fœderis Evangelici tum temporis obſcuriùs revelati multis argumentis demonſtari poteſt.* 10 *diſertè dicitur c.* 29. *v.* 1. *verba quæ ibidem ſequuntur fuiſſe verba fœderis quod* Deus *præcepit, ut pangeret cum Iſraelitis præter fœdus illud quod pepigerat cum illis in Chorebo. Qui renovationem tantùm hîc intelligunt fœderis in monte Sinai facti nugas agunt, quin & textus ipſius apertiſſimis verbis contradicant. Neque enim verba fœderis in Sinai facti repetita ac renovata ullo ſenſu dici poſſunt verba fœderis quod* Deus *ſancivit præter illud quod in monte Sinai pepigerat.*]

Reſp. 1. Affirmari non ſine ratione poteſt

test [*hæc sunt verba fœderis Deut.* 29. 1.] intelligi de istis præceptis & promissis, quæ in priori parte libri, qui *Deuteronomium* dicitur, recitata sunt; tum quia apparet ex verbis *c.* 31. 1. dixisse *Mosem* hæc quum mors appropinquaret & *c.* 13. *v.* 9, 10, 11, 12, 13, 14. 26. 27. ea verba intelligi quæ recitanda & observanda essent ab Israelitis in temporibus post obitum ejus, & quæ scripta erant in libro quem scripsit, & è *c.* 1. 2. & 5. 3. patet *Mosem* allocutum esse sæpius *Israelitas* commemorando quæ scripserat in hoc libro tum quia *Deut.* 29. 20. 21. dicitur, *incumbet ei omnis execratio quæ scripta est in libro hoc, secundùm omnes adjurationes fœderis quod scriptum est in libro hoc legis.* Quæ indicant librum hunc *Deuteronomii* tunc recitatum, nec alia præcepta aut promissa intelligi *Deut.* 29. 1. quàm ea quæ in fœdere legis hoc est *Sinaitico* memorantur: ea verò fuisse ejusmodi, quæ negat *Bullus* in eo fœdere fuisse, apparet ex *Levit.* 26. 11. 12. 40, 41, 43, 44, 45, 46, & fuisse in hoc libro *Deut.* 4. 8. 29, 30, 31. & alibi præcipuè *Deut.* 27. & 28. 2. Nec si sic exponeretur

poneretur *Deut.* 29. 1. eſſet ulla contradictiò. Non enim, ſi verba, hoc eſt, præcepta & promiſſa ſint eadem quoad ſubſtantiam idem erit fœdus: nam aliud fœdus dici poteſt ab actione quâ fuit pactum, & perſonis quibuſcum fuit pactum. Quas verba *Deut.* 29. 10. 12. 13. [*vos ſtatis hodiè omnes coram Jehova Deo veſtro ad ineundum fœdus Jehovæ Dei tui, & in juramentum ejus* Gr. ἐν ταῖς ἀραῖς αὐτῶ *quia* (*ut Anſworthus*) *execrationes legis in ſe ſuſceperant, ſi fœdus non ſervarent*) oſtendunt fuiſſe poſteritatem eorum qui ex Ægypto educti & totum populum *Iſraeliticum*, eâque ratione fœdus fuiſſe aliud à *Sinaitico*.

2. Ait *Bullus* [*diſertè dicitur, hoc fœdus idem prorſùs fuiſſe cum eo, quod Deus juramento ſanciverat cum Iſraelitici populi majoribus Abrahamo putà Iſaaco & Jacobo: ejuſdem cap. v.* 12. 13. *Quod fœdus ipſum Evangelicum fuit obſcuriùs revelatum, ipſo Paulo interprete Gal.* 3. 16. 17.]

Reſp. non ſic dicitur: ſed in hæc verba [*quod Jehova tuus pangit tecum hodiè, ut ſtatuat te hodiè ſibi in populum,* &

& ipse sit tibi Deus, *quemadmodum dixit tibi, & quemadmodùm juravit majoribus tuis Abrahamo Isaaco & Jacobo.*] Quæ verba non dicunt *disertè idem prorsùs fuisse fœdus, quod cum Abrahamo inivit Gen.* 17. 7. *idque in sensu Evangelico, in quo Apostolus interpretatur Gal.* 3. 16. 17. nam nec dicit, ut sit *Deus tibi & semini tuo*, nec si interpreteris, ut sit *Deus tibi ut semini Abrahæ*, dicitur in *sensu Evangelico uti Christo Gal.* 3. 16 sive ipsi personæ, sive membris in eum credentibus *Rom.* 4 12. 16. nam in isthoc sensu non fuit unquam fœdus cum toto populo uti hîc dicitur *v.* 10. 11. Quod & verba *Joannis Baptistæ Matth.* 3. 9. *Christi Joan.* 8. 39. *Pauli Rom.* 9. 6, 7, 8, probant. Rectiùs ergò (ut dixi) fœdus respicit *Sinaiticum*, & promissionem *Exod.* 19. 5. 6. *Levit.* 26. 45. 46. & promissionem peculiarem semini naturali, quemadmodùm dicitur *Gen.* 13. 15. & 15. 18. & 26. 3. & 28. 13.

30 Addit *Bullus* [*nonnulla hujus fœderis verba citat Paulus ut verba fœderis Evangelici, quæ fidei justitiam manifestò præ se ferunt. Vide Rom.* 10. 6. *& seq.*

Coll.

Coll. Deut. 30. 11. & *seq. Haud me fugit esse nonnullos qui statuunt hæc Mosis verba ab Apostolo ad fidei justitiam per allusionem tantùm accomodari; sed fidem non faciunt, cum verba ista manifestò alleget ut ipsissima verba justitiæ fidei, h. e. fœderis Evangelici in quo justitia ista revelatur. Atque ut verum fatear, semper existimavi, allusiones istas (ad quas confugiunt quidam tanquam ad sacrum suæ ignorantiæ asylum) plerumque aliud nihil esse quàm Sacræ Scripturæ abusiones manifestas.*]

Resp. verba Evangelicum quid sonantia etiam è locis, ubi *sinaiticum* fœdus recitatur, citari solent, à *Paulo* 2. *Cor.* 6. 16. è *Levit.* 26. 12. 48. 1 *Pet.* 2. 9. ex *Exod.* 19. 5. 6. ideoque enervis est hæc ratio. Præterea quicunque confert verba *Deut.* 30. 12. 13. cum *Pauli* verbis *Rom.* 10 6. 7. necesse est fateatur per accommodationem usurpari: quandoquidem quod *Moses* dicit v. 12, 13, 14. [*ut deferat illud ad nos ut audiamus & faciamus illud, ut possimus audire & facere, ut facias illud*] non aliter quàm per accomodationem applicari possunt sicut

Paulus

Paulus applicat Rom. 10. 6. 7. 8. [*hoc est Christum ex alto educere, Christum ex mortuis reducere, verbum illud fidei quod prædicamus*] sed *Bullus* satis fidenter addit [*Sed non necesse erat, hoc saltem in loco, ut tali κρησουγήτῳ uterentur. Nam* 40 *quæcunque in hoc fœdere continentur in Evangelium mirè quadrant.* 1. *Quod ad præcepta attinet præscribuntur hîc ea tantùm quæ ad mores pertinent, & per se honesta sunt, illorum rituum, qui, si verba spectes, pueriles videri possunt, quorumque totum fœdus legale ferè plenum est, nullâ factâ mentione. Addas: totam illam obedientiam, quæ hic requiritur ad sincerum sedulumque studium Deo in omnibus obediendi referri. vid. c.* 30. *v.* 10. 16. 30. 2. *Ad promissa quod spectat plenam hîc omnium peccatorum, etiam gravissimorum remissionem post peractam pænitentiam repromittit Deus cap.* 30. *vers.* 1, 2, 3, 4. *quæ gratia in fœdere legali nuspiam concessa est, ut supro fusius ostendimus. Deinde gratia spiritus sancti, quâ corda hominum circumcidantur ut Jehovam diligant, ex toto corde atque ex totâ animâ hoc in loco de quo agimus (nempe prædicti*

capitis

capitis vers. 6) *clarè promittitur. Huic quàm procul à Mosaicorum scriptorum venâ.*]

Resp. fœdus *Moabiticum* comprehendi vult in *Deut.* 29. & 30. sed in istis capitibus non alia mandata recitantur quàm quæ in *Deuteronomio* in capitibus præcedentibus continentur, & quæ eadem sunt cum iis quæ tradita sunt in fœdere *Sinaitico*, uti innuitur *Deut.* 29 9. 21 25 *Deut.* 30 2. 8. 10. nec ad moralia præcepta restringit moses; sed v. 16. sic fatur [*qui præcipio tibi hodiè ut diligas Jehovam Deum tuum ambulando in viis ejus, & observando præcepta ejus statutaque ejus & judicia ejus ut vivas & augearis: ac benedicat tibi Jehova Deus tuus in terrâ, quò tu venturus es ad possidendum jure hæreditario.*] Et quod præcipitur *Deut* 30 30. itidem præcipitur in lege sic decernente Christo *Matth.* 22. 36, 37, eademque obedientia præceptis sive judicialibus sive cerremonialibus poscitur, quæ in fœdere *Sinaitico*. Nec alia remissio aut gratia promittitur quàm ea quam indicavit Deus *Exod.* 34. 6, 7 *Levit.* 26. 12 40, 41, 42.

Sic inquit *Bullus* [*quæ de pacto Jerem.*

31. 31. & *ſeq. quod Evangelicum Heb:* 8 8& *ſ q. prænunciat propheta omnia huic fœderi Moabitico ad amuſſim reſpondent. Novum iſtud ab eo quod cum majoribus populi Iſraelitici Ægypto exeuntibus pepigerat* Deus *omninò diverſum, idem de Moabitico fœdere dicit Moſes Cauſa Jerem.* 31. 32. *quod irritum feciſſent Sinaiticum non obtemperando, eadem Moabitici Deut* 29 4. *quam circumciſionem cordis promittit Deus Deut.* 30. 6. *pollicetur Jerem.* 31. 33. *eademque remiſſio peccatorum Deut.* 30. 1 &c. *quæ Jerem.* 31. 34. *eademque claritas & facilitas præceptorum in utroque Jerem.* 31. 34. *Deut.* 31. *v.* 11. *Rom.* 10. 6.

60 *Ex conſenſu Hebræorum* Deut. 30. *ad Chriſti regnum pertinet.*]

Reſp. 1. non probatur *hoc Moabiticum fuiſſe omnino diverſum à Sinaitico.* 2. nec dicitur *irritum feciſſe fœdus Sinaiticum Deut.* 29. 4 ſicut *Jerem.* 31. 32. ſed ſolùm *non percepiſſe eos opera Dei*, & *Deut.* 31. 16 20. patet non tunc irritum feciſſe fœdus *Sinaiticum*, ſed fœdus hoc *Moabiticum* factum, *ne irritum facerent fœdus Sinaiticum.* 3. nec *eadem remiſſio aut inſcri-*

ptio

ptio legum in corda eorum promittitur, nec eadem claritas aut facilitas in utroque ſaltem quoad gradus: ſed remiſſio & circumciſio potiùs ad certum tempus & accidens reſtringi videtur *Deut.* 30. 1. 6. nec certè *claritas eadem quæ in Evangelio Dent.* 30. 11. ſignificatur, nec *Rom.* 10. 6. probat, quandoquidem uſurpari per accomodationem tantùm verba iſta oſtenſum eſt. Evangelica verò eſſe promiſſa etiam in ſcriptis aliis *Moſis* oſtenſum eſt. Nec negârim ad regnum Chriſti caput iſtud pertinere: ſed paralleliſmus qualem vult iſte Author inde non evincitur, nec reverà concedendus: quippe tantum abeſt ut fœdus *Moabiticum* ſupponat populum *Iſraeliticum* irritum feciſſe *Sinaiticum*, adeòque illud ſuſtuliſſe, ut potiùs dicendum ſit *Moabiticum* factum, ut arctiorì vinculo ad ſervandum *Sinaiticum* conſtringerentur, ut ex verbis ipſis *Moſis* patet.

non dicitur *Joh.* 3. 34. *Deum in Eccleſiam* ἐκ ἐκ μέτρου διδόναι *ſpiritum* quanquam πλουσίως det *Tit.* 3. 6. *Joh.* 7. 38. *Act.* 2. 17.

Animadverſiones in caput duodecimum.

C. 12 §. 2. Hoc conſectarium infert *Bullus* ex iis quæ dixerat [*opera quæ Paulus à juſtificatione excludit ſimpliciter ejuſmodi tantùm eſſe, quæ ſine gratiâ Evangelicâ perficiuntur vi legis Moſaicæ, vel etiam naturalis. Cum enim Paulus hoc imprimis argumento pugnat contra juſtificationem ex lege ſive Moſis ſive naturæ, quòd utraque iſta lex ſuis viribus planè deſtituta ſit, quibus homines ad juſtitiam veram Deo dignam ipſique gratam adducantur; manifestè hinc ſequitur ab ipſo iſtam ſolummodo juſtitiam eaque opera à juſtificatione excludi, quæ ab infirmitate humana in ſtatu ſive legis ſive naturæ proficiſcuntur.*]

Sed 1. falſum eſt *opera quæ Paulus à juſtificatione peccatoris coram Deo ſimpliciter excludit, ejuſmodi tantùm eſſe, ejuæ ſine Evangelicâ gratiâ perficiuntur vi legis Moſaicæ vel etiam naturalis.* 2. Nec ſi hoc imprimis contra juſtificationem ex lege *Moſis* vel naturæ pugnaret argumento,

argumento, quòd *utraque iſta lex iis viribus planè deſtituta ſit quibus homines ad juſtitiam veram Deo dignam ipſique gratam adducantur, manifeſtè hinc* ſequitur ab ipſo *iſtam ſolummodò juſtitiam eaque opera excludi quæ ab infirmitate humanâ in ſtatu ſive legis ſive naturæ proficiſcuntur*: Nam excluduntur non propter inſufficientiam legis ex ſe, ſed propter inſufficientiam legis per carnem h. e. corruptionem hominibus innatam, atque ideò propter eam impotentiam non potuit lex ab homine ad inſtitutum legis obſervari, quin homo peccaret contra legem, adeòque juxta legem condemnationi & maledictioni expoſitus eſt, nec ulla opera ſive vi legis, ſive gratiâ Evangelicâ facta potuerunt peccata expiare præter Chriſti obedientiam uſque ad mortem crucis quâ pro nobis maledictio factus eſt, ejuſque per fidem in ſanguine ipſius participes ſumus. Nec alia opera quæcunque valent ad juſtificationem peccatoris coram Deo, quia fides in Chriſtum eſt ſola condicio, ſive medium unicum, quo ſumus in Chriſto ipſi adhærentes adeòque juſtificati hoc eſt abſoluti à condemnatione,

demnatione, & accuſatione, idque totum eſt quod juſtificationis vocabulo comprehenditur.

Sed *hoc ipſum (ait Bullus) aliis etiam rationibus ex ipſo Paulo petitis liquidò conſtat*[*Ac primò quidem non leve aut contemnendum hujus rei argumentum mihi videtur quòd Apoſtolus contrà operum juſtitiam disputans opera ſimpliciter nominet nullo addito niſi legis epitheto; nunquam verò (quod ſciam) bona opera à juſtificatione excludat. Hoc ipſo enim non obſcurè innuit ſe opera tantùm ex ingenio viribuſque humanis profecta, omnique ſupernaturali bonitate diſtituta rejicere. Fateor ab ipſo alicubi nominari* ἔργα τὰ ἐν δικαιοσύνῃ *opera juſtitiæ Tit. 3. 5. ſed ibidem ſe explicat verbis immediatè ſequentibus* ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, *quæ ipſi (h. e. ex propriis viribus) fecimus. Hinc Epheſ. 2. opera quæ à ſalute excludit Apoſtolus* ἔργα *opera ſimpliciter appellantur v. 9 quæ verò opera tanquam ad ſalutem neceſſaria admittit quibuſque perficiendis gratiâ Chriſti præparari nos & quaſi creari affirmat* πολλὰ ἔργα *bona opera dicit v. 10.*

Reſp. ſi Apoſtolus contra operum juſtitiam

ſtitiam diſputet, excludit à juſtificatione omnia opera, ſi legis opera excludat à juſtificatione bona opera excludit: opera enim legis ſunt bona, nec aliter mala quàm quia non ſunt opera legis: nec, ſi opera legis ſint, dici poſſunt ex ingenio viribuſque humanis profecta, omnique ſupernaturali bonitate deſtituta: nec excluduntur à juſtificatione opera, quia ſunt legis, ſed quia etiamſi ad legis normam aliquatenùs fiant, tamen non plenè & exactè ad legis normam, ſed contra legem peccatur, & *per legem eſt cognitio peccati Rom.* 3. 20. Nec *Tit.* 3. 5. innuitur ideò *non ſervatos ex operibus juſtitiæ quæ fecerint ipſi, quia viribus propriis facta,* ſed quia non fecerunt ea opera juſtitiæ quæ ad ſalutem ſufficerent, ſed neceſſe habuerint gratiâ & miſericordiâ Dei condonante & renovante niti: Ob eandem rationem *Epheſ.* 29. *ſervati ſunt Epheſii non ex operibus*, quia opera non fuerant bona ut è *v.* 11. 12 patet. Imò *mortui erant in lapſibus & peccatis v.* 1 2, 3. non quia opera feciſſent legis ex propriis viribus. Dicuntur quidem *opus, Dei conditi in Chriſto Jeſu ad bona opera,*

quæ præparavit Deus ut in eis ambulemus, ſed non dicit iſtis bonis operibus juſtificandos aut ſervandos: ſed *hæc gratiæ tribuuntur per fidem* (*& hoc non eſt ex vobis: ſed Dei donum eſt*) *v.* 8.

2ò Ait Bullus [*ex totâ Apoſtolicæ diſputationis ſerie illud manifeſtum ſit, ipſum ejuſmodi tantùm opera rejicere, quæ admiſſa hominibus gloriandi ſeque coram Deo efferendi materiam præbere viderentur: vide Rom.* 3. 27. & 4. 2. *Epheſ.* 2. 9 *Id verò de operibus quæ proprio marte ſine gratiæ adjutorio efficimus, dici tantùm poſſe, quis non videt? Quæ enim quis opera gratiâ Divinâ tum præveniente tum comitante adjutus præſtat Deo optimo maximo deberi eorumque gloriam in ipſum tanquam ſummum ac primum autorem redundare manifeſtum eſt. Bona hæc quæ præſtamus: non tam opera noſtra ſunt quàm Dei ipſius in nobis. Nemo autem Coram Deo jure gloriari poſſit eâ de re quam Deo debet.*]

Reſp. Ideò *Rom.* 3. 27. *Rom.* 4 2. *Epheſ.* 2. 9 gloriandi anſa præcinditur ab operibus & fidei juſtificatio tribuitur, quia *dat gloriam Deo, & juſtificationem & hæreditatem ſoli gratiæ tribuit Rom* 4. 16.

20

2 o nullibi *quia gratiâ Dei adjuti bona opera præstamus.* Nec reverà gloriandi in nobis occasio penitùs tolletur, si opera faceremus bona ad justificationem sufficientia etiam gratiâ adjuti: non enim sic facta sunt ista Dei opera, quin sint in nobis ut subjectis, à nobis ut efficientibus causis per quas fiunt si non summis, primis, totalibus, proximis tamen & in actu. Si enim, quod ait *Bullus c.* 18. §. 14. *Apostoli verba Phil.* 2. 13. 13. *irresistibilem gratiæ operationem funditus evertunt*, & Deus non ita agat in voluntatem quin in omni bono opere ipsa se determinet, Deus solum posse bene operari & velle operatur in nobis, ipsum agere est ex libero arbitrio, adeò ut juxta *Grevinchovium* dicatur renatus *seipsum discriminari ab alio*, cui eandum dedit gratiam quam sibi, sed non ex se efficacem, sed ex liberi arbitrii concursu ut concausâ, imò ut proximâ causâ in actu, gloriandi est materia teste Apostolo 1. *Cor.* 4. 7. Nam iste non habuit juxta sententiam hanc à Deo quòd bonum operatus sit, sed quòd potuit operari.

Pergit *Bullus* & in rem suam exponit

Phil.

Phil. 3. 9 [*ſuam vult dici juſtitiam quia ex ſuis viribus profecta*] ſed ipſe textus aliam reddit rationem, quia *eſt ex lege non per fidem Chriſti, juſtitia à Deo* ἐπὶ τῇ πίστει *per fidem* vel *ſuper fide*, nec [*à Deo dicitur quia per fidem Chriſti Deus in nobis operatur & propterea ut ſuum opus approbat*] ſed quia eſt ex judiciali ſententiâ Dei juſtificantis, non quia legem præſtiterit, uti *Moſes* deſcribit, ſed ex Dei Conſilio qui fecit *Chriſtum finem legis ad juſtitiam cuivis credenti, eò quòd mortuus eſt propter offenſas noſtras & ſuſcitatus ex mortuis interpellat pro nobis, ideoque corde creditur ad juſtitiam, hoc eſt ut imputetur ei fides ad juſtitiam*, ut plenè ſe exponit *Paulus Rom.* 10. 3, 4, 5, 6, 7, 8; 9, 10, 11. Idem docetur ubi dicitur *nos eſſe à Deo in Chriſto qui factus eſt nobis à Deo juſtitia* 1. *Cor.* 1. 30. *Fecit Deus eum qui non novit peccatum pro nobis peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo* 2. *Cor.* 5. 21. *ſcientes non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti: etiam nos in Chriſtum credidimus ut juſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis propterea*

quod

quod non juſtificabitur ex operibus legis ulla caro. Irritam non facio gratiam Dei, *nam ſi per legem eſt juſtitia, igitur ſine cauſſâ Chriſtus mortuus eſt Gal.* 2. 16. 21. Ex quibus patet Apoſtolum *Philip.* 3. 9. ſuam juſtitiam depretiare non quia ex ſuis viribus profecta, & juſtitiam ex lege, non quia per legem humanâ ope ſine gratiâ Evangelii parari poſſit: ſed quia juſtitia hoc eſt ſtatus abſolutionis à peccato ex juſtificatione Divinâ non eſt niſi ex fide Chriſti *quæ imputatur in juſtitiam iis qui credunt in eum qui ſuſcitavit Jeſum Dominum à mortuis, qui traditus eſt propter offenſas noſtras & ſuſcitatus ad noſtrî juſtificationem Rom.* 4. 24. 25. Unde Apoſtolus, *Quis intentabit crimina adverſùs electos* Dei? *Deus is eſt qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is qui mortuus eſt, imò verò qui etiam ſuſcitatus eſt: qui etiam ad dextram* Dei: *qui etiam interpellat pro nobis Rom.* 8. 33. 34. Hæc eſt tam aperta mens & ſæpiùs memorata *Pauli* de juſtificatione ſuâ & cujuſvis peccatoris coram Deo juxta Evangelium ut mirum ſit virum, qui præco Evangelii haberi

velit

velit adeò delirâſſe, ut tam inſulſam & futilem deprædicaret juſtificandi peccatoris viam per opera bona qualia *Jacobus* memorat ab *Abrahamo* & *Rachabâ* facta & doctrinam de ſolâ fide juſtificante tanquam *tætrum errorem* ſugillaret.

Quod addit *Bullus* [*juſtitiam quæ à Deo per fidem Philip.* 3. 10. *diſtinctius explicari*] pari levitate dicitur. Nam *v.* 10. non forma juſtitiæ, quæ à Deo per fidem, exprimitur, ſed finis renunciationis fiduciæ in carne, & ſtudii ut Chriſtum cognoſceret, & in eo inveniretur.

Nec magis in remedium eſt quod reſumit *Tit.* 3. 6. nam quod dicitur [*ſervavit nos*] non intelligitur de juſtificatione; nam ea conſequitur ſervandi actum ut ad eam tendentem ut expreſſè dicitur *v.* 7. ſed de vocatione quæ à juſtificatione diſtinguitur ut eam præcedens *Rom.* 8. 30. & hæc vocatio dicitur [*non ex operibus juſtitiæ quæ nos fecimus*] non ut innuat *non eſſe ſervatos ex operibus juſtitiæ quæ nos fecimus, quia ex propriis viribus fecimus, & feciſſe opera juſtitiæ, ipſos in ſeipſis à ſeipſis feciſſe non Deum in ipſis*

(quod

(quod alieniſſimum eſt ab Apoſtoli inſtituto) ſed quamvis non fecerant opera juſtitiæ, utpote qui *fuiſſent quondam amentes, rebelles, errantes, ſervientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitiâ & invidiâ degentes, odioſi, alii alios odio proſequentes, ſervatos tamen:* Nec [*quod prioribus ademerat operibus ex propriis viribus his bonis operibus ex gratiâ concedit h. e per hæc non illa nos ſervatos affirmat*] ſed omnibus operibus adimit ſalutem, ut benignitatem & erga homines etiam peſſimos amorem & miſericordiam Dei ut unicam ſervandi cauſam demonſtraret. Deinde quod addit *Bullus* [*cum Paulus nos per renovationem ſpiritus ſancti intelligit omnes illas virtutes ac bona opera quæ à corde per ſpiritum ſanctum renovato fluunt*] falſum eſt: nam renovatio eſt actus ſpiritus ſancti antecedens virtutes & bona opera quæ à corde per ſpiritum ſanctum renovato fluunt, *nec accipitur in baptiſmo regeneratio*, ſed præſupponitur in baptizato & cum dicitur *v. 7. juſtificari gratiâ* Dei non vult Apoſtolus [*quod ſcilicet ſolâ ſpiritus ſancti gratiâ gratis à Deo per Chriſtum*

Chriſtum nobis impertitâ ea præſtare valeamus quibus ex pacto Evangelico ad juſtificationem æternamque ſalutem perveniatur:] nam nunquam *gratia Dei apud Paulum* notat donum in nobis, ſed favorem Dei quo movetur ad impertienda dona. *Juſtificari* ergo Dei gratiâ eſt juſtificari ex merâ Dei benevolentiâ tanquam motivo aut cauſâ impulſiva iſtius actus.

Nec feliciùs ſe gerit in allegando *Epheſ.* 2. 8. 9. 10. nam nec [*fides ponitur pro obedientiâ omnibus præceptis moralibus in Evangelio poſitis*] ut v. g. *Matth.* 7 12. Nec quod dicitur [*non ex vobis innuit ſervari hoc eſt juſtificatos eſſe ex operibus à gratiâ Evangelicâ profectis*] ſed ex merâ gratiâ & motu Divino: Nec *v.* 10. dicitur [*operibus verè bonis ad juſtificationem atque æternam ſalutem perveniri*] ſed *Epheſios* quanquam è Gentibus ſummè impios *ſervatos per fidem ex Dei dono adeòque factos Dei opus creatos in Chriſto Jeſu ad bona opera, quæ priùs paraverat Deus, ut in eis ambularent.* Quæ ad converſionem per efficacem Dei gratiam ipſorum voluntatem ad fidem mutantem & determinantem,

minantem, non ex conſenſu liberi arbitrii poſt Divinam ſpiritus operationem indeterminati à ſe ſolùm determinati ad fidem, & juſtificationem probandam ex merâ gratiâ ſine operibus converſorum argumenta præbent invicta. Nihil verò ad juſtificationem per opera bona poſt converſionem, quum quod dicitur de iis pertinet ad primam converſionem per Evangelium etiam cum inter peſſimos numerati eſſent ut *v.* 11. oſtendit.

§. 9. Procedit hoc modo *Bullus* [*His locis addi poſſunt ea, in quibus operibus gratioſam* Dei *vocationem opponit Paulus, ut* Rom. 9. 11. *ubi electio hominis ad ſalutem fieri dicitur* ἐκ ἔξ ἔργων *non ex operibus* ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος *ex vocante. Hîc enim manifeſtum eſt, Apoſtolum ea ſolummodò opera rejicere, quæ quis ſuâ ſponte facit ante & citra omnem vocationem divinam; nequaquam verò ea, quæ præſtat homo à Deo gratis vocante prævenitus atque excitatus: neque enim iſta vocationi Divinæ repugnant: confer 2. Tim.* 1. 9.]

Cui repono: miram cogitantiam & audaciam

audaciam in Scripturam detorquendo prodit, cum ea quæ de electione dicuntur ac si de juſtificatione dicerentur, allegat, & ad opera ſola excludenda ante vocationem cum omnia opera adeò præciſè excludantur, & abſolutiſſima apparet electio, adeò ut non magis reſpiciantur opera in hoc propoſito ſecundùm electionem quàm in electione *Jacobi* præ Eſavo; qui ſignanter notantur *ut nondum nati idcòque ut qui neque feciſſent bonum aut malum quum oraculum editum eſt, major ſerviet minori, & Jacobum dilexi, odi Eſavum*, unde inferiur nullâ aliâ metum Deum ratione præter ſuam liberrimam voluntatem diſcriminatum eſſe unum ab alio cum affectu tum effectu. Et quod dicitur [*ex vocante*] malè refert *ad vocationem per Evangelium*, quamvis dicitur electionis propoſitum fuiſſe de *Jacobo* adhuc in utero, ideoque [*ex vocante*] non poteſt referri ad vocationem per prædicationem Evangelii, ſed idem eſt quod ex nominantis aut deſignantis voluntate, quam velit in ſemen, ut *v.* 7. dicitur, *in Iſaaco vocabitur tibi ſemen.* Nec 2. *Tim.* 1. 9. plus in

rem

rem ejus habet. Nam ſalvatio & vocatio omnia opera excludunt ſive ante ſive poſt vocationem, ut mero Dei propoſito & *gratiæ quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſeculorum tribuantur*, & proinde non operibus poſt gratiam Evangelicam receptam.

Adhuc addit *Bullus* [*ſic etiam cum χάειν & ἔργα gratiam & opera ita inter ſe opponat Apoſtolus ut illam hæc, hæc illam deſtruere affirmet* Rom 11. 6. *ſole meridiano clarius eſt, ab ipſo iſtiuſmodi tantùm opera intelligi quæ abſque gratiâ fiunt: certè enim opera gratiæ gratiam non deſtruunt. Neque ad rem facit ſi dicas, per gratiam, quæ operibus hìc à Paulo opponitur, non intelligi gratiam* Dei *quoad effectum, ſed quoad affectum i. e. gratuitum* Dei *favorem; eſto enim: nihilominùs manet illud verum opera gratiæ ſive quæ gratiâ* Dei *in nobis operante fiunt, nullatenùs deſtruere gratiam, ſeu favorem illum* Dei *quo nos complectitur; ſed illum apertè ſtabilire. Gratia enim illa, quâ perficiuntur ejuſmodi opera, à gratuito* Dei *favore profluit; neque enim gratia dici poſſit, quod ex gratuito* Dei *favore non pro-*

cedit. *Ut rectè hîc cùm Paulo argumentemur: si ex gratiæ operibus ſervemur, ergo ex gratiâ: ἢ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις.*]

Reſp. locus cujus meminit *Rom.* 11. 6. de electione agit, quæ cum ſit πρὸ καταβολῆς κόσμου *Epheſ.* 1. neceſſe eſt excludat omnia opera, quia nulla præcedunt electionem; nec prævisio eorum dici poteſt ratio eligendi, quia *electio eſt ad bona opera*, ut ibidem dicitur, *ut ſimus ſancti & inculpati in conſpectu ejus cum Charitate.* Idem dici poteſt de juſtificatione *Paulinâ*: eſt enim juſtificatio peccatoris, ideò non poteſt eſſe per opera, nam opera condemnant, ideòque neceſſe eſt ut ſit ex gratiâ ſine operibus per fidem in Deum promittentem & Chriſtum procurantem. Fateor *bona opera quæ gratiâ Dei in nobis operante fiunt non deſtruere gratiam*: ſed ſi iſtis operibus illud tribuatur, quod mero favori tribuendum eſt, ab iſtâ gratiâ detrahitur: Ut ſi condonetur ſubdito rebellio eaque condonatio facit ſubditum Principi obſequentiſſimum & fideliſſimum, à Principis gratiâ derogatur, ſi obſequio & fidelitati tribuatur condonatio quæ ex merâ gratiâ procedit. Atque

que in hâc re cum *Paulo* argumentemur; si ex gratiæ operibus eligamur & juſtificemur à peccato, ergo non ex gratiâ, alioquin gratia non ampliùs eſſet gratia. Et falſum eſt quod ait [*Apoſtolum cum juſtificari nos ac ſalvari gratis, gratiâ, ſine operibus, omnemque gloriandi materiam in toto hoc negotio penitùs excluſam eſſe, totiès contendat, hoc imprimis fundamento niti, quod quicquid boni ad juſtificationem ac ſalutem æternam conſequendam à nobis præſtitum ſit, id totum ex gratiâ Dei, gratis nobis per Chriſtum datâ promanet, ipſique acceptum referri debeat: ac proinde ipſius fuiſſe mentem opera ſolummodò ex libero hominis arbitrio gratiâ Evangelii deſtituto profecta à ſalutis ac juſtificationis negotio excludere* ὅπερ ἔστι δεῖξαι.] nam nullibi iſto nititur fundamento, ſed expreſſè docet *juſtificari gratiâ quia per Chriſti redemptionem Rom.* 3. 24. *Juſtificari gratis ejus gratiâ per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Gal.* 2. 21. *non rejicio gratiam Dei: ſi enim per legem juſtitia: ergo ſine cauſâ Chriſtus eſt mortuus*: nec in *Bulli* dictatis demonſtratio eſt, ſed quæ protulit prout *Bullæ*;

ſi tangantur, evaneſcunt.

§. 13. Occurrit argumento *Paræi* primo contra ſuam ſententiam, quod fateor uti ponitur non ſatis validum; ſed ſi rectè formetur hoc modo: omnia opera bona excluduntur à *Paulo* ab eâ juſtificatione de quâ agit, quia agit de juſtificatione peccatorum coram Deo, de quibus probavit *Rom.* 3. 9, 10, 11, 12. &c. *omnes eſſe ſub peccato, non eſſe juſtum ne unum quidem, non eſſe qui intelligat, non eſſe qui exquirat Deum, omnes deflexiſſe, ſimul inutiles factos eſſe, non eſſe qui faciat bonum, non eſſe uſque unum*, patebit omnia opera excludi ab eâ juſtificatione de quâ agit. Sed in ſecundo argumento §. 14. &c. diutiùs hæret *Bullus*. *Argumentum ſecundum eſt; Abrahami & Davidis opera non erant ſine gratiâ & fide facta. At hæc etiam à juſtificatione Paulinâ excluduntur* Rom. 4. *Falſum eſt igitur, quod ſolâ operâ ſine gratiâ ac fide facta excluduntur.*

Reſp. [*De Davide non neceſſe eſt ut multum laboremus, cùm Apoſtolus ibi loci teſtimonium tantùm ex illo citet, quo probet, quod de Abrahamo priùs dixerat. Ad Abrahamum*

Abrahamum verò quod attinet, ſupponit in hoc argumento Paræus quod in quæſtione eſt, ipſum ſc ab Apoſtolo ſpectari qualis erat poſt revelationem vocationemque divinam ipſi factam, ſi enim ſtatuamus, conſiderari à Paulo Abrahamum qualis erat ante extraordinariæ vocationis gratiam tùm manifeſtè concidit totum Parei argumentum. Poſterius autem illud verum eſſe non obſcurè liqaet ex capitis citati v. 1. ubi totius de Abrahamo in ſequentibus ſaltem uſque ad v. 9. controverſiæ ſtatus ex profeſſo ponitur his verbis, quid igitur dicemus ? Abrahamum patrem noſtrum invenisſe κατὰ σάρκα. §. 16. Illud unum reſtat inquirendum, quid per κατὰ σάρκα intelligat Apoſtolus. Atque hîc duplicem tantùm interpretationem dari poſſe video; vel primò ut κατὰ σάρκα idem valeat, quod per circumciſionem & opera externa & carnalia, quam interpretationem multi interpretes ſequuntur; vel ſecundò ut κατὰ σάρκα ſignificet ex viribus naturæ ſine gratiâ; & ſic propoſitionis negativæ hic erit ſenſus: Abraham non fuit juſtificatus apud Deum operibus ullis ex propriis viribus profectis, ac libero ſuo arbitrio citra gra-

tiam divinam præstitis. Posteriorem interpretationem lubens amplector ob has rationes, primò quia hæc sit usitatissima acceptio vocis οὐρξ *in novo testamento, quæ frequenter spiritui, gratiæ, revelationi divinæ opponitur: vide Matth.* 16, 17. *Gal.* 1. 16. *Deinde quia controversia de circumcisione novâ quæstione ab Apostolo proponi videtur v.* 9. *Denique huic negativæ propositioni ita intellectæ optimè quadrant argumenta, quibus ipsam in sequentibus confirmat Apostolus.*]

Cui repono. Quod de Davide dicitur, si probet quod de *Abrahamo* priùs dixerat, probat μακαρισμὸν adeòque justificationem, de quâ agit, fuisse cum remissione peccatorum. Atqui talis justificatio nunquàm est ex operibus ante vel post gratiam Evangelicam receptam, nec potest esse eadem quæ apud *Jacobum* tribuitur *Abrahamo*, cui certum est non fuisse peccata remissa, quia *filium suum obtulisset super altare*: Et si *Abrahamus* consideretur à *Paulo* qualis erat ante extraordinariæ vocationis gratiam, non consideratus erat à *Jacobo* qualis tunc erat, sed qualis erat quum diu probâsset

suam

ſuam integritatem, & in actu erat quo eam pleniſſimè demonſtrâſſet, ideòque inepta eſt obſervatio, cui *Bullus* tam diu & tam acriter inſiſtit ut exponat *Paulum* per *Jacobum* ad ipſius inſtitutum. Quippe apud *Paulum* eſt alia juſtificatio, & homo juſtificatus aliter conſideratur quàm apud *Jacobum*, ideò *Paulus* non rectè exponitur per *Jacobum*, adeòque *Bulli Harmonia Apoſtolica*, cui componendæ tantoperè inſudavit, abſona eſt à veritate. Veruntamen rationes, quas profert *Bullus*, nequaquam probare mihi videntur negativam propoſitionem quam ponit ut *Pauli* mentem, *Paulum* de juſtificatione *Abrahami Rom.* 4. 1. &c. ante extraordinariæ vocationis gratiam conſiderati egiſſe. Nam primò ſi in iſtâ voce *ſecundùm carnem* σάρξ uſurparetur in ſenſu in quo opponitur ſpiritui & gratiæ divinæ tum ſenſus eſſet [*quid ergo dicemus patrem noſtrum Abrahamum invēniſſe ſecundum carnem.*] ac ſi quæreret, quid pater noſter *Abrahamus* inveneric ſecundùm corruptionem aut pravitatem, *quæ inimicitia eſt adverſus Deum, legi enim Dei non ſubjicitur: nam ne poteſt quidem*

Rom. 8. 7. Sed hic ſenſus alienus eſt ab Apoſtoli mente. Nam interrogatio ſupponit aliquid emolumenti aut lucri idque apud Deum inveniri potuiſſe, aut ab aliquibus, iis ſaltem contra quos diſputat, cogitatum eſſe tanquam inventum ſecundùm carnem: Atqui nec per carnem ut pravitatem notat potuit invenire, nec Judæi adverſus quos diſputat conceperunt, aut aliquem alium veriſimile eſt concepiſſe per pravitatem aliquid lucri apud Deum *Abrahamo* acceſſiſſe: Nec κατὰ σάρκα intelligitur in ſenſu in quo σὰρξ ſumitur ut divinæ revelationi opponitur, aut potiùs ab eâ diſtinguitur prout *Matth.* 16. 17. *Gal.* 1. 16. ſumitur, ubi notat humanam ſcientiam aut prudentiam, nam in iſto ſenſu cum ſanguine conjungitur aliter quàm apud *Paulum Rom.* 4. 1. & ſic ſenſus eſſet, *Abrahamus* nihil invenit quod juſtificaret apud Deum in aliorum hominum notificatione, aut conſilio. Sed hoc non eſt id quod *Bullus* vult, [*nihil inveniſſe ex operibus quæ fecit ex propriis viribus*,] nec reverâ ullum vel leviſſimum eſt indicium dubium fuiſſe de inventione *Abrahami* ex humanâ

nâ ſcientiâ aut prudentiâ aut conſilio, aut operibus ex propriis viribus aut libero ſuo arbitrio citra gratiam Divinam profectis aut præſtitis: ſed de eo quod *Judæi zelo Dei affecti, ſed non ſecundùm ſcientiam* venditabant pro prærogativâ ipſorum juxta quam juſtificationem expectabant, circumciſione ſcilicet, quam *Abrahamus* accepit, & obſervatione legis *Moſaicæ*, de quibus Apoſtolus *Rom.* 3. 1. 2. & *Rom.* 9. 4. 5. ut ipſorum inſigni prærogativa loquitur: ſed hîc arguit ea ad juſtificationem coram Deo non ſufficere. Qui ſenſus patet ex iis quæ dixerat *Rom.* 2. 28. *Non enim qui eſt in propatulo Judæus eſt Judæus, nec ea quæ eſt in propatulo in carne circumciſio,* & *Rom.* 3. 29 30. *An Judæorum Deus ſolùm? annon & Gentium? Certè & Gentium. Siquidem Deus unus eſt qui juſtificabit circumciſionem ex fide & præputium per fidem.* Inde infert circumciſionem non contuliſſe *Abrahamo* ad juſtificationem & latè probat *Rom.* 4. 9, 10, 11, 12. Ubi non proponitur *diſertè ab Apoſtolo controverſia de circumciſione nova quæſtione, ut* fingit *Bullus*; ſed argumento ulteriori à tempore quo fides

fides ei imputata eſt ad juſtitiam videlicet ante circũciſionẽ, eum non circumciſione & legis obſervatione, ſed fide juſtificatum adeòq; gentes juſtificari per fidem æquè ac Judæos circumciſos, & in hoc ſenſu ob rationem eandem idem *Paulus abrenunciat fiduciam in carne Phil.* 3. 3. quam exponit fuiſſe *in proſapiâ, circumciſione, ſectâ, juſtitiâ in lege v.* 4, 5, 6. Quæ plurimùm urgebant Judæi doctores contra fidem Chriſti, ut *Gal.* 6. 12. *quicunque volunt ſpecioſi apparere in carne cogunt vos circumcidi*, & qui ex hæreſi *Phariſæorum crediderunt dicentes oportere ipſos circumcidere gentes & eis mandare ut obſervent legem Moſis Act.* 15. 5. Contra quos hîc diſputat *Paulus* potuiſſe gentes juſtificari apud Deum ſine circumciſione & obſervatione legis *Moſaicæ*, ſicut *Abrahamus* per fidem; Ideoque non eſt mens Apoſtoli excludere opera à juſtificatione, quia ex propriis viribus aut ante vocationem divinam, ſed quævis opera aut privilegia etiam ea, quæ poſt vocationem divinam *Abrahamus* præſtitit ſòlâ fide exceptâ. Quod patebit examinatione eorum quæ *Bullus* addit de ſenſu iſtius Capitis & aliorum

aliorum indiciorum in iſto capite occurrentium.

Rectè ait *Bullus* [*idem eſſe* κατὰ σάρκα *Rom.* 9. 1. & ἐξ ἔργων v. 2.] ſed falſum eſt excludi opera ob hoc quod ante aut poſt vocationem aut ex propriis viribus profecta, ſed eò quod erant circumciſio & obſervatio legis *Moſaicæ*, in quibus utcunque gloriarentur apud homines *Judæi Gal.* 6. 13. non habuit tamen gloriandi cauſam *Abrahamus apud Deum*, qui juſtificatus eſt ex fide tantùm, hoc eſt juſtus in conſpectu Dei habitus aut declaratus vel pronunciatus, non factus ſcilicet juſtitiâ inhærente aut opere. Nam in hoc ſenſu δικαιοῦσθαι in hac diſquiſitione non uſurpat *Paulus*, ut *Bullus* ipſe in *diſſertatione priori* c. 1. §. 2. notat & periculum eſt ne uſurpando, juſtificationem, quam Pontificii aſſerunt ſoveanus. Sed opera etiam bona ex gratiâ profecta excludi à juſtificatione per Apoſtolum, eamque eſſe non faciendo juſtum juſtitiâ inhærente, ſed imputando juſtitiam *Abrahamo*, idque per fidem & poſt gratiam receptam patet ex teſtimonio Scripturæ *Rom.* 4. 3. Quod non eſt allatum ad probandum

probandum *Abrahamum* non fuiſſe juſtificatum per opera è ſuopte ingenio profecta, ſed non juſtificatum eſſe ne per circumciſionem aut opera legis Divinæ ad quæ circumciſio obligabat, ut *Gal.* 5. 2, 3, 4, 5. quanquam à Deo impoſita, ſed per fidem ſolam. Et falſum eſt quod ait *Bullus* [*tribui operibus ex gratiâ factis aut fidei, & inde natæ obedientiæ juſtificationem*] nam non tribuitur fidei ut reſpicit ullum præceptum, cui operando obediret *Abrahamus*, ſed ut reſpexit promiſſum de ſemine ejus *Gen.* 15. 5. Quæ fides ideò imputata ei in juſtitiam, *quia gloriam dabat Deo*, ut ſe plenè explicat Apoſtolus & amplificat fidem *Abrahami Rom.* 4. 16, 17, 18, 19, 20, 21. & addit *v.* 22. *Ideò & reputatum eſt ei in juſtitiam*, & *v.* 23. *ut doceat nos itidem juſtificari addit v.* 23. 25. *Non ſcriptum eſt autem propter eum ſolùm quòd imputatum eſt ei, ſed etiam propter nos quibus futurum eſt ut imputetur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Dominum noſtrum à mortuis traditum propter offenſas noſtras, & ſuſcitatum ad noſtrî juſtificationem.* Nihil dicitur

citur ab Apoſtolo aut *Gen.* 15. 6. quod trahat verba [*credidit Deo & imputatum eſt ei ad juſtitiam*] ad ſenſum *Bullianum.* Nam apertè exponuntur *v.* 16, 17, 18, 19, 20, 21. de *Abrahami* fide de ſemine ejus multiplicando, non de obedientiâ inde natâ, & de fide diu poſt migrationem in terram *Canaaniticam.*

Frivolum verò eſt quod ait [*Fidei obedientia ipſâ ſui notione meritum omnino omne excludit, ſupponit enim gratioſam Dei revelationem credenti priùs factam, atque adeò promiſſa talia, quæ ſuâ excellentiâ credentem fortiter extimulent ad obedientiam illi præſtandam ſub cujus conditione bona promiſſa acquirenda ſunt, quæque univerſum iſtum laborem (quantus quantus ſit) qui ex eorum fide ſuſcipitur non tantum exæquent, ſed & longiſſimè ſuperent. Ita planè ſeres habuit in exemplo Abrahami.*] Nihil enim horum elicitur è Scripturâ, & ſi hæc ratio valeret diceremus pariter opera legis meritum omne excludere, quia præcepta in monte *Sinai* revelata ſunt à Deo ſingulari modo eaque fuerunt, quæ populum redderent prudentem cum promiſſis de terrâ *Cana-*

an,

an, prout *Deut.* 4, 5, 6, 7. &c. quæ laborem in obſervando longiſſimè ſuperent, adeòque ſi gloriandi materia *Abrahamo* nulla, nullum meritum ob iſtas, quas ponit *Bullus*, rationes, nulla eſſet gloriandi materia aut meritum in Judæis obſervantibus legem.

Nec vim habet quod vult [*v.* 4. τῷ ἐργαζομένῳ *eum indigitare qui operatur ex ſe ſuiſque viribus nullis gratiæ Divinæ auxiliis adjutus, nam is mihi, inquit, videtur propriè dici* ὁ ἐργαζόμενος. *Qui enim per gratiam Dei operatur non tam is operatur quàm gratia Dei in ipſo* 1. *Cor.* 15. 10. *Gal.* 2. 20. *Et hunc ſenſum loci contextus firmat. Præterquam enim quod Apoſtolus de operibus Abrahami diſputat, quæ præſtitit* κατὰ σάρκα ὁ ἐργαζόμενος *hîc directè opponitur* τῷ πιστεύοντι *h. e. ei qui operatur ex fide divinorum promiſſorum*] nam ὁ ἐργαζόμενος eſt idem qui legis obſervationi innitens ad juſtificationem, qui dicitur *v.* 14. ὁ ἐκ νόμου, quia ideò juſtificatione excidit, quia *lex iram operatur. Ubi enim non eſt lex nec prævaricatio.* Nec hoc verbum eſt 1. *Cor.* 15. 10. aut *Gal.* 2. 20. nec trahi poteſt ad ſenſum

ſenſum *Bulli* ὁ ἐργαζόμενος: Abſtractè enim dicitur, & poteſt dici tam de eo qui operatur ex gratiâ quàm qui operatur ex libero arbitrio, ſi legis obſervantiæ innitatur, ut exinde juſtificetur.

Nec [*v.* 1. *inſtituit Apoſtolus diſputationem de operibus Abrahami quæ præſtiſtitit κατὰ σάρκα*] ſed aſſerit *eum nihil inveniſſe ſecundùm carnem* in ſenſu prædicto, & omni exemplo caret, ut ὁ πιστεύων ſit idem quod *operans ex fide Divinorum promiſſorum*; ſed de *Abrahamo* dicitur, *qui contra ſpem ſub ſpe credidit fore ut ipſe fieret pater multarum gentium ſecundùm id quod ei dictum fuerat, Ita erit ſemen tuum, ac minimè infirmus fide non conſideravit ſuum ipſius corpus jam emortuum, quum centum circiter natus eſſet annos, nec emortuum uterum Saræ, ad hanc promiſſionem Dei non addubitavit incredulitate, ſed corroboratus fuit fide tributâ gloriâ Deo v.* 18, 19, 20. In quibus nihil eſt de operando, ſed de firmâ perſuaſione de veritate Dei, ut qui opere præſtiturus erat quod ore pollicitus erat. Nec ullibi πιστεύειν eſt operari ex fide ſecundùm mandatum, ſed fidere & credere

credere dicenti aliquid esse verum aut futurum. Nec dicitur *v. 4. operanti merces ex debito* quia operatur propriis viribus: nam si operaretur ex gratiâ esset merces ex debito; dicere enim potuit, mihi debetur propter opera mea merces justitiæ, nam is potest absolutionem postulare ut suam qui innocens est, Quanquam enim nemini debet quicquam Deus ex justitiâ commutativâ, qualis ea est de quâ Apostolus *Rom.* 11. 35. debet Deus tamen justè sententiam ferre juxta illud quod dicitur *Rom.* 3. 5, 6. *Num injustus Deus qui inferat penam? Absit: alioquin quomodo judex erit Deus mundi? Gen.* 18. 25. *An judex totius mundi non exercet jus?* Ex æquitate & condecentiæ justitiâ tribuit operanti, sed ex mera gratiâ ei cui non ob aliud tribuit mercedem quàm quòd credat. Quod verò Apostolus dicit *v. 5. credenti in eum qui justificat impium fides ejus imputatur ei in justitiam*] rectè ab Apostolo notatum, ut etiam Idololatram justificet Deus ex fide, adeòque Gentiles credentes innuat justificandos æquè ac Judæos circumcisos uti dixerat *Rom.* 3. 30.

30. Nec [*si notetur Abrahamus ut impius Idololatra ante vocationem.*] repugno, sed hoc solum regero *v.* 3. *Abrahamum* dici justificatum ex fide solùm post conversionem non ex operibus quæ fecerat post vocationem, nec posse justificationem *Abrahami Paulinam* accommodari ejus justificationi ex operibus apud *Jacobum*.

Quod verò allegatur ex *Clemente Romano*, quia Epistola ejus uti edita est à *Patricio Junio Græcè* non est mihi ad manum, utpote multis abhinc annis mihi abrepta, & verba *Augustini* non sunt authentica, prætereo. Quod verò ait [*certum esse justificationem peccatoris esse actum continuum neque ante obitum perfectum ac consummatum, & de amissione justificationis adeptæ gratiâ Dei per fidem ac pœnitentiam*] non rectè dici existimo, nec probari ex locis allegatis. Nihilominùs quoniam nihil ab eo producitur ad priorem thesin statuminandam, & posterior thesis ad controversiam de intercisione justificationis olim inter *Richardum Thomsonem* & *Robertum Abbotum* aliosque agitatam duceret, prætermitto,

& conſectario priori diſcuſſo ad alterum propero.

Animadverſiones in caput decimum tertiuum.

C. 13. §. 2. Ait *Bullus* [*tantùm abeſſe ut à Paulo neceſſitas bonorum operum ad juſtificationem conſequendam tollatur, ut è contra ſcopus ipſius ſit duo hæc oſtendere* 1ò *veram operum juſtitiam eſſe omnino ad juſtificationem neceſſariam. Quippe cum hoc imprimis argumento pugnet Apoſtolus contra juſtificationem ex lege, quòd ea per ſe impar ſit hominibus ad veram operum juſtitiam adducendis manifeſtè ſupponit (ut cum ſcholâ loquar) ſine tali juſtitiâ neminem ad juſtificationem pervenire poſſe. Niſi enim illud ſupponatur argumentum ejus invalidum eſſe cuivis mediocriter rem attendenti liquebit.*]

Cui reſpondeo, verum eſſet hoc ſi ſupponeret Apoſtolus non eſſe aliam viam perveniendi ad juſtificationem quàm per legem aut per fœdus legale. Sed hoc longè abeſt à ſcopo Apoſtoli, cujus ſcopus eſt demonſtrare *non potuiſſe per legem*

gem juſtificari quemquam coram Deo, quia Scriptura concludit omnes ſub peccato eò quòd nunquam præſtari potuit condicio juſtificationis in lege propoſita, ne ab iis quidem quibus Evangelium revelatum: ſed opus erat Novo Teſtamento in ſanguine Chriſti ad expiationem peccatorum, ſine quâ non eſt juſtificatio à peccato; juſtitiâ operum, ex quo omnes peccârunt, per legem aut fœdus legale factâ impoſſibili.

2ò inquit *Bullus* [*Evangelium eſſe unicum illud inſtrumentum, quo ad juſtitiam illam pervenire quis poſſit. Quod enim legi detrahit Apoſtolus concedit Evangelio. Infirma erat lex Moſis, nec poterat hominem juſtificare, quia iis ipſum auxiliis deſtitutum reliquit, quibus pietatem illam aſſequeretur, ſine quâ Deo ſanctiſſimo ad ſalutem placere ſit prorſus impoſſibile. E contra lex Chriſti potentiſſima eſt, ac miſeris peccatoribus ad juſtificationem perducendis abundè ſufficiens; quippe quæ omnia ad eandem illam pietatem in ipſis efficiendam neceſſaria affatim ſuppeditet: tum vitæ æternæ lucem apertiſſimè revelando, atque adeò ipſum fidem apertiſſimis documentis*

faciendo; tum imprimis gratiam Spiritus S. non tantùm neceſſariam, ſed & copioſam atque abundantem largiendo.]

Reſp. malè dicitur *Evangelium eſſe inſtrumentum, quo ad juſtitiam illam operum quam lex requirit pervenire quis poſſit.* Verum eſt, juſtificationem, quam legi detrahit, Apoſtolum concedere Evangelio: ſed non quia ſuppeditat auxilia ad præſtandam legem, ſed quia fidem efficit in Chriſti ſanguine, quo juſtificantur credentes, eò quòd expiavit peccata ipſorum; omittendo verò hoc medium juſtificationis, & ſubſtituendo juſtitiàm operum Evangelium planè evertitur & à Chriſtianiſmi medullâ receditur.

§. 3. 3ò Sic differit *Bullus* [*cum cap. 8. ad Roman. v. 1. dixiſſet Apoſtolus, nullam eſſe condemnationem iis, qui in Chriſto Jeſu ſunt, h. e. qui Evangelio credunt plenè ac perfectè eſſe juſtificatos, hanc ſubjungit rationem v. 2. lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis h. e. ſpiritus ille Chriſti vivificus, qui Evangelium comitatur, liberavit me primùm à peccandi conſuetudine, dein à morte æternâ, quæ conſuetudinem*

tudinem illam neceſſariò ſequitur: manifeſtè oſtendens ideò per ſolum Evangelium liberari nos à reatu peccati, h. e juſtificari, quia ex illo ſolo promanet gratia illa efficaciſſima, quâ à peccati dominio liberati, piæ ſanctaque vitæ aſſeramur.]

Reſp. non nego *legem ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu* ſignificare Evangelium, quo modo verba Chriſti dicuntur *Joan.* 6. 63. *ſpiritus & vita*, & miniſtri Novi Teſtamenti ſunt *Miniſtri non literæ ſed ſpiritus, quia litera occidit ſpiritus autem vivificat*, & legis promulgatio *Miniſtratio mortis & condemnationis*, prædicatio Evangelii & Novi Teſtamenti *Miniſtratio ſpiritus & juſtitiæ* 2. *Cor.* 3. 6, 7, 8, 9. dicitur, & Evangelium ſive Novum Teſtamentum *liberare à lege peccati & mortis*, hoc eſt à poteſtate arguendi me reum fuiſſe peccati, adeòque & morti obnoxium, ſicut dicitur *Rom.* 5. 20. 21. *lex introjit ut abundaret delictum, & regnavit peccatum in mortem.* Peccato igitur tribuitur dominium, ut legi, non propter conſuetudinem peccandi, ſed propter reatum unde mortem infert, & ſimiliter liberatio non intelligitur de liberatione

à peccandi consuetudine, sed à regno peccati ad mortem, Et hæc liberatio tribuitur Evangelio, quod dicitur *lex justitiæ Rom.* 9. 31. & *spiritus vivificus*, & prædicatio ejus *Ministratio vitæ*, non tam quia spiritus datur per Evangelium mutando ab impiâ ad sanctam vitam quàm quia *justitia Dei per illud revelatur ex fide in fidem sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivet Rom.* 1. 17.

Addit Bullus [*Hoc ipsum quoque clariùs adhuc liquet & vers.* 3. & 4. *hujus* 8. *Capitis, ubi ostendit Apostolus illud quod legi ἀδύνατον erat Christum præstitisse, nempe ut peccatum carne in interficeretur & δικαίωμα justificatio legis impleretur in nobis non secundùm carnem sed secundùm spiritum ambulantibus.*]

Cui respondeo. Dicitur Deus *damnâsse peccatum in carne* non peccandi consuetudinem in carne nostrâ, sed vim damnandi in carne Christi tollendo. Quod patet ex eo, quòd hæc damnatio non tribuitur Deo ut emittenti in nos spiritum suum, sed ut *filium mittenti in similitudinem carnis peccati & περὶ ἁμαρτίας* hoc est ut sacrificium pro peccato, sicut

usurpatur

usurpatur *Heb.* 10. 6. & frequenter in versione lxx ut *Levit.* 4. & 5. quo sensu Deus dicitur *fecisse Christum pro nobis* ἁμαρτίαν 2. *Cor.* 5. 21. cujus facti finis declaratur *Rom.* 8. 4. ut δικαίωμα νόμε πληρωθῇ, hoc est immunitas à condemnatione de quâ *v.* 1. dixerat, uti vox δικαίωμα usurpatur *Rom.* 6 16. non δικαιώματα ut *Heb.* 9. 1. non observatio præceptorum legis perfecta, sed jus absolvendi quod lege proponebatur observantibus, ut quia impleri non potuit *propter impotentiam ex carne nostrâ peccatrice impleretur* à Christo ἐν ἡμῖν. Non nostrâ praxi, nec per nostram ambulationem secundùm spiritum. Nam redditur quidem istis verbis descriptio personarum quibus ut *v.* 1. *non est condemnatio*, sive quibus jus aut justificatio legis impletur, non causa istius impletionis. Certum enim est impletionem istam tribui solùm Deo per Christum missum in sacrificium pro peccato ideòque sive ἐν ἡμῖν reddatur *in nobis*, hoc est in nostris personis, quibus iste justitiæ status & ἀποτέλεσμα obtingit, sive ἐν sit ut alibi sæpiùs particula pleonastica, sive ἐν pro σοὶ ut, *Rom.* 11. 3. vel

εἰς & reddenda sit de, *quoad, propter, erga, causâ nostrî vel ad nos* uti *Joan.* 4. 9. *Matth.* 10. 32. *Rom.* 15. 5. 1 *Cor.* 9. 15. 2. *Reg.* 14 12. ὦ ἰσραὴλ Gr. *pro Israele,* non rectè exponitur ad mentem *Bulli.* Quippe Apostolus in quatuor primis versibus exponit solùm statum immunitatis à condemnatione quomodo fiat, & posteà amplificat descriptionem eorum, quibus ille status advenit, quòd *sint ii qui non secundùm carnem sed secundùm spiritum ambulant.*

Dicitur quidem νόμον ἱστῶμεν *Rom.* 3. 31. sed non dicitur [*fides stabilire legem, nec ob hoc quia gratiam impetrat quâ lex impleatur*] negat quidem Apostolus se legem inutilem aut inessicacem per fidem reddere, sed statuere aut stabilire dicit: at non dicit per fidem se stabilire legem. Quod si dixisset, aliæ rationes possunt & solent dari quàm ista quam *Bullus* ponit, nimirùm *stabilitur obligatio legis moralis ut Rom.* 13. 8. vel ut utar verbis *Piscatoris in observ: ad istum locum.* Doctrina *Evangelii de justificatione per solam fidem non abolet legem, potiùs stabilit, idque variis modis. Ac primùm quidem quia Evangelium*

vangelium teſtatur per Chriſtum eſſe impleta quæ per legis cæremonias fuerunt præfigurata: ac deinde quia teſtatur, Chriſtum legi pro nobis ſatisfeciſſe quatenùs maledictionem, quam nos legis tranſgreſſione ſummi meriti, ipſe ſuſtinuit: tum verè etiam quia illa demum erga legem obedientia (quamvis imperfecta) Deo placet, quæ ex verâ in Chriſtum fide atque adeò à juſtificatis fide proficiſcitur. Hinc convincitur error Antinomorum, qui doctrinam legis ex Eccleſia exterminandam putant. Manet enim lex moralis perpetua regula vitæ juſtificatorum ex fide. Aut ſi magis placeat *Grotii gloſſa annot: in locum, ſtare facimus, id eſt honorem ei ſuum deſcendimus. Nimirum docebant Apoſtoli per legem rectiùs agnoſci turpitudinem peccatorum ſupra* 20. *ſocietatem civilem per eam fuiſſe ſervatam, & aliquatenùs pœnarum metu repreſſa, ne crumperent, vitia Gal.* 3. 13. *in lege promitti Chriſtum, & juſtitiam quam Chriſtus attulit ſupra.* 21. *Ac ſic pluribus modis legem ducere nos ad Chriſtum Gal.* 4. 24. *Chriſtum verò finem eſſe legi propoſitum* infra 10. 4.

Quod

Quod verò addit *Bullus* [*inter legem per se spectatam atque Evangelium præcipuum discrimen esse ; quòd Evangelium largiatur gratiam justitiæ illi præstandæ (ad justificationem) necessariam, quam lex tantummodò ostendit*] non probant elogia Evangelii, quòd sit *ministerium, lex spiritus vitæ, potentia Dei, potentia Dei ad salutem*, aut quod dicitur *Heb.* 8. 10. 11. Nec si [*Grotius falsè plerosqua reformatorum Theologorum derideat*] piè hoc factum aut à *Bullo* memoratum. Sine jactantiâ enim in hâc de justificatione controversiâ triumphare potuerunt quasi incognitam plurimis sæculis lucem è cœlo detulissent. Quod satis apparet ex iis quæ in examinandis articulis de justificatione in concilio *Tridentino* de Theologorum inscitiâ Author *Historiæ* l. 2. retulit.

Animadversiones in Caput decimum quartum.

C. 4. §. 4. Ait *Bullus* [*quod eripit operibus legis ritualibus externis tribuere Apostolum internæ puritati animæ iisque operibus*

operibus quæ inde fluunt ut ad juſtificationem neceſſariis] Fateor *Gal.* 5. 6. & 6. 15. 1 *Cor.* 7. 19. *Rom.* 2. 28. circumciſionem invalidam declarari quæ in corpore eſt, & circumciſionem internam prædicari ut veram *Philip.* 3. 2. 3. *Col.* 2. 11, 12, 13. nullibi verò dici juſtificatos eſſe nos ex internâ circumciſione, ſed *completos nos in Chriſto* idque *per fidem Col.* 2. 10, 11, 12, 13 *quæ valere* dicitur *Gal.* 5. 6. & *Philip.* 3. 3. Chriſtianos eſſe *circumciſionem* ſtatuit, *qui gloriantur in Chriſto Jeſu.* Sed quod ad ſyllogiſmum *Bulli* contra *Soliſidianos* attinet, quem *argumentum* ἀκατάλυτον jactat, nego majorem ſi univerſalis ſit. Nam quatenùs *Paulus* opera ritualia & externa ut non neceſſaria ad juſtificationem peccatoris rejicit, eatenùs opera ſpiritualia & interna ut neceſſaria ad juſtificationem non admittit, ſed vice ritualium, ut e. g. ſacrificiorum Chriſtum ejuſque ſanguinem ſubſtituit *Rom.* 5. 9. *Heb.* 9. 11. &c. *Heb.* 10. 8. 9. 1 *Cor* 5. 7. &, ne plurâ accumulem, de ſarcinâ rituum ſic ait *Col.* 2. 17. *quæ ſunt umbra rerum futurarum: at corpus eſt Chriſti.* Nimis ergo fidenter & protervè,

protervè, ut in præcedentibus, ita in hoc capite concludit [*Qui igitur neceſſitatem bonorum operum ad juſtificationem ex claris Evangelii præceptis nondum edocti ſunt Moſen adeant vel per obſcura ejus rudimenta de errore ſuo turpiſſimo revincendi.*]

Animadverſiones in caput decimum quintum decimum ſextum & decimum ſeptimum.

C. 15, 16, 17. Poſtquam *Bullus* errores quoſdam Judæorum expoſuiſſet, & calumnioſè inſinuâſſet *c.* 15. §. 18. [*eos viros qui abſolutum atque irriſiſtibile Dei decretum cum arbitrii libertate componi poſſe exiſtiment, non receſſiſſe prout oportuit a ſato*] c. 17. §. 4. [*negat obedientiam ἀναμάρτητον tanquam dogma inter Judæos receptum defenſumque*] quanquam *Marci.* 10. 17. 20. contrarium innuitur. §. 5. ut ſolifidianis quos dicit, doctrinam affingere à ſcopo Apoſtolo alieniſſimam evincat, ſic ait [*ſtatuunt Apoſtolum docere bona opera ad juſtificationem nequaquam eſſe neceſſaria. At cui quæſo fini, cui*

cui bono apud Judæos serviret ejusmodi disputatio?] Respondeo, ad humanum tantum tollendum, & ad extollendam gratiam Dei in Evangelio per Jesum Christum ut parabola *Luc.* 18. 14. indicat. Deinde virulentâ hac calumniâ perstringit solifidianos [*constat Judæos existimâsse omnem Israelitam qui modò professionem Judaismi & fiduciam fœderis cum Abrahamo iniit non abjecisset, partem tandem habiturum in altero sæculo i. e. in vitâ æterna: quæ certè, mutato tantùm Judaismi nomine in Christianismum est ipsissima solifidianorum nostrorum sententia.* §. 8. *Qui fidem solam sine bonis operibus ad justificationem sufficere tanto conatu, contendunt, ne scilicet ad Judaismum accederent, in ipsum jam (cum veteribus Gnosticis) μανιῶν & ac stultitiæ Judaicæ βάθη incidérunt*] Increpet te Deus.

Animadversiones in caput decimum octavum.

Quæ c. 18. differit *Bullus* de sensu confessionum externarum Ecclesiarum earumque

rumque Theologorum prætereo. Quod verò ait §. 6. p. 340. *Homil. de ſalute par. 2. expreſſè concludere quod ad actum atque officium ipſum juſtificandi attinet nihilo plus fidei quàm cæteris virtutibus tribuendum eſſe*] falſum eſt, imò contrarium eſt expreſſis verbis *Hom: de ſalute hominis parte primâ*, ubi ſic loquitur. *Fides non excludit pœnitentiæ, ſpei, amoris, metus & timoris Dei coexiſtentiam in unoquoque homine qui juſtificatur: ſed excludit ab officio juſtificandi. Atque adeò etſi ſimul omnes ſint in eo qui juſtificatur, non ſimul tamen juſtificant.* Quæ verba ſive ex inadvertentiâ ſive ex dolo omiſſa ſint à *Bullo*, certum eſt declarare mentem Eccleſiæ *Anglicanæ* in articulo 11° fuiſſe excludere ab officio juſtificandi præter fidem omnes virtutes, non ſolùm opera quæ fructus ſunt & ſigna fidei, ſed & actus internos pœnitentiæ, ſpei, amoris, metus & timoris Dei, idque propter imperfectionem omnium operum.

Nec quod *Bullus* ait §. 8. p. 345. [*cauticne opus eſt ut accuratè diſtinguat lector Chriſtianus inter juſtificationem primam ac ſecundam, adeoque inter bona*

opera,

opera, quæ ad hanc illamque necessariò requiruntur, & statuendum omninò sit cum Bullo ad primam justificationem opera tantùm interna fidei, pœnitentiæ, spei, Charitatis &c. esse absolutè necessaria; cætera verò externa opera, quæ in factis externis, sive in actuali singularum virtutum, quas modò enumeravimus, exercitio conspiciuntur, signa tantùm esse fructusque pietatis internæ & justificationis posteriora, eâque demum lege præstanda, si non desit opportunitas] consistit cum eo quod observavit *c.* 12. §. 25. p. 269. [*Erat Abrahamus impius & gravibus peccatis implicatus, idcòque signanter dicit Paulus Abrahamum credidisse in eum qui justificat impium; eo innuens tantùm abfuisse ut Abrahamus ante vocationem divinam bonis nullis operibus Deum promeruerit, ut è contrà maximorum peccatorum reus fuerit.*] Si enim *signanter notetur ut impius ante justificationem Abrahamus, isque fuerit, qui nullis bonis operibus Deum promeruerit ante vocationem Divinam, ne in primâ justificatione propter virtutes aut interna opera justificatus est.* Præterea si

opera

opera interna ſola primam juſtificatio-
nem antecedant, & de hac juſtificatio-
ne agit *Paulus*, tum *Paulus* & Eccleſia
Anglicana in art: 11o de aliâ juſtifica-
tione intelligendi quàm eâ de quâ *Jaco-
bus* agit *c.* 2o *v.* 21. 25 quæ ſuit per o-
pera externa juſtificatione primâ poſte-
riora: talia enim fuerunt *Abrahami* &
Rahabæ opera, & proinde incaſſum la-
boravit *Bullus* in *Harmoniâ Apoſtolicâ*
concordiam reſarcire ſuo modo inter
Apoſtolos, & ſolifidianiſmum, qui *Pau-
li* & Eccleſiæ Anglicanæ indubitata men-
ſ eſt, oppugnare *Art.* 16 Eccleſiæ *Au-
gl*: patet non ſolum è *Rogerſii* (quem
ſatis pro imperio inter *anâaculos*, *&
multis in locis infeliciſſimos articulorum
noſtrorum interpretes* numerat p. 340.)
interpretatione, ſed etiam ex ipſis ver-
bis & collatione *Hamptonenſi* contra Ca-
tharos priſcos & nuperos poſitum, non
pertinere ad exciſionem juſtificationis ſive
totalem ſive finalem aſſerendam.

Quæ §. 11. p. 354. de *gratiâ* ait pro-
bo, ſi gratiam ex ſe efficacem intelli-
ligat, quod neceſſe eſt ſtatuat, ſi aſſen-
tiat iis quæ c. 9. §. 10. p. 186. habentur

[De

[*De regenitis omnibus affirmat Apostolus, quòd in iis Deus & τὸ velle & τὸ perficere operetur Phil. 2. v. 13.*] sed quæ contra voluntatem Dei prædeterminantem, & irresistibilem gratiæ operationem *pag.* 358. §. 14 *c.* 18. habet plurimaque alia in isto libro suspicionem ingerunt in vocabulo gratiæ sicut olim *Pelagius*, eum ludere, & per [*gratiam*] non aliam Divinam operationem intelligere præter revelationem veritatis, illuminationem, & moralem suasionem, & per efficientiam in nobis τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας *Phil.* 2. 13. cooperationem, ubi studium & diligentia ex liberi arbitrii bono usu præcedit, non verò eam gratiam discriminantem eum tueri, quam ex Scripturâ speciatim è textu *Philip.* 2. *v.* 12. 13. elicuit vir non postponendus *Bulli* viro *incomparabili maximo Hugoni Grotio* aut *doctissimo suo Simoni Episcopio* (quorum auspiciis nimium tribuit) in his saltem controversiis exercitatissimus *Samuel Wardus Professor* olim *Dnæ Margaretæ* apud *Cantabrigienses* in *concione* cui titulum fecit, *Gratia discriminans*, & *in Prælectionibus*, quas edidit *Sethus*

Wardus Episcopus jam *Sarisburiensis*, in quibus Apostoli verba ab insultibus *Bullianis* tuta præstitit, & solifidianismum, quem *Bullus* oppugnat, defendit sed manum de tabulâ: absurditates & contradictiones in *Bulli* libro detegendas aliis relinquo; si solifidianismum, quem tuetur Ecclesiæ Anglicanæ articulus undecimus, a *Bulli* cornibus liberaverim, operæ pretium ducam.

FINIS.

Summa eorum quæ in his animadverſionibus continentur

In Proœmio oſtenditur errorem 11° *Artic. Eccl: Anglicanæ* Bullum *affingere*

Diſſert. Primæ

C. 1° *à Juſtificationis* Paulinæ *notione genuinâ aliquantulùm deviat* Bullus

C. 2° *è Scripturâ Sacrâ non probatur bonorum operum neceſſitas ad Juſtificationem* Paulinam

C. 3° *malè aſſeritur legem per quam à reatu ac pœnâ peccati liberamur eſſe* Decalogum *ejuſque impletionem*

C. 4° *malè negat* Bullus *ullum eſſe actum fidei per ſe ut à cæteris virtutibus diſtinctæ cui juſtificatio tribuatur*

C. 5° *non eſt eadem ratio juſtificandi in hâc vitâ & futuro ſæculo*

C. 6° *nec ex adverſariorum confeſſione aut è* Jacobo *evincitur bonorum operum neceſſitas ad juſtificationem à reatu ac pœnâ peccatorum*

Diſſert. Secundæ P 2 *C.* 1° *non*

C. 1° *non probatur justificationem esse actum continuum non ante obitum perfecte consummatum*

C. 2° *non probatur* Jacobum *per* fidem invalidam *intelligere fidem veram Evangelicam, aut Charitatem esse formam fidei*

C. 3° *justificatio fidei soli à* Paulo *tributa est ab accusatione & condemnatione quibus peccatores propter peccata coram* Deo *sunt obnoxii; apud* Jacobum *justificatio, quæ operibus tribuitur, est absolutio credentis & fidei à criminatione fuci & hypocriticæ professionis.*

C. 4° *non probatur fidem à* Paulo *accipi pro universâ mandatorum Christi obedientiâ*

C. 5° *Fidei non tribuitur justificatio, quia pro universa quæ Evangelio exhibetur obedientiâ accipitur, aut quia est initium & radix totius Evangelicæ justitiæ.*

C. 6° *Justitia sua à* Paulo *rejicitur ut ad justificationem insufficiens non merè quia humana ex propriis viribus sed quia non sine peccato, nec exactè ad amussim legis*

C. 7° *Justificatio ex lege negatur à* Paulo *non ob defectum præceptorum aut promissionum in fœdere* Mosaico, *sed quia pra carnis infirmitate non potuit præstari, utpote*

pote ad omnem & omnimodam ἁναμαρτησίαν obligans

C. 80 Pauli *assertio* Rom. 3. 9. *πάντες ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι de omnibus simpliciter intelligitur*

C. 90 Paulo *de seipso etiam regenito dicit quæ habentur* Rom. 7. 14. &c. *ideoque ipso* Bullo *fatente causa, quam agit corruit.*

C. 100 *Lex bona ultra hanc vitam premisit observantibus & apta nata erat ad veram pietatem ingenerandam*

C. 110 *Fœdus* Moabiticum Deut. 3. 29. & 30. *non probatur præcepta & promissa habuisse quæ* Sinaitico *non habentur*

C. 120 *opera bona renatorum etiam* Abrahami *post vocationem ad exitum è patriâ, &* Davides *ab officio justificandi juxta* Pauli *mentem excluduntur.*

C. 130 *vera operum justitia nullibi ut necessaria ad justificationem* Paulinam *ab ipso asseritur.*

C. 140 *non tribuit Apostolus internæ puritati animæ iisque operibus quæ inde fluunt ut ad justificationem necessariis quod eripit legis ritualibus externis.*

C. 150 160 170 Bullus *calumniatur Solifidianos quos dicit*

C. 180 *distinctio primæ & secundæ justificationis non juvat* Bullum, *qui non, uti oportuit, recitat verba* Homiliæ de salute, *nec* Artic. 16 Eccles. Anglicanæ *mentem exposuit, & refutatur à* Samuel Wardo *in libris à* Setho Wardo *Episcopo jam* Sarisburiense *editis.*